VARIA OPERA
MATHEMATICA
D. PETRI DE FERMAT,
SENATORIS TOLOSANI.

Acceſſerunt ſelectæ quædam ejuſdem Epiſtolæ, vel ad ipſum a pleriſque doctiſsimis viris Gallicè, Latine, vel Italice, de rebus ad Mathematicas diſciplinas, aut Phyſicam pertinentibus ſcriptæ.

TOLOSÆ,

Apud JOANNEM PECH, Comitiorum Fuxenſium Typographum, juxta Collegium PP. Societatis JESU.

M. DC. LXXIX.

Novo invento usi iterum expresserunt R. Friedlænder & Filius. BEROLINI MDCCCLXI.

CELSISSIMO
S. R. I. PRINCIPI
FERDINANDO
EPISCOPO PADERBORNENSI,
COADIVTORI MONASTERIENSI,
COMITI PYRMONTANO,
LIB. BARONI DE FURSTENBERG.

SAMVEL DE FERMAT S. P.

SI munus quod tibi, Celsissime Princeps, offero non respuas, grati simul animi & obsequii quodam erga te, ac pietatis officio erga Parentem fungi videbor : dum in illius operum Mathematicorum limine nomen statuo, quod injurias temporum & invidiæ morsus arcere possit. Quis enim unquam credat improbari quod tu semel probaveris, quem Arctoi syderis instar intuentur quicumque scientiarum pelagus sulcare cupiunt, mox tutius & tranquillius futurum, cùm fluctus omnino sedaverit lenior pacis aura quæ tandem spirare cœpit ? Sic autem per omnes orbis literarii partes lucem spargis, ut te cuncti suspiciant & neminem despicias ; ita multorum errorem Magnatum damnas qui veluti quodam summæ dignitatis privilegio sibi concessum existimant, ut non tantùm impune, verùm etiam splendidè possint esse indocti ; & se contemnendos putent nisi Musas spernere audeant. Sed abundè tua probat authoritas nulli magis utiles esse literas, quàm ei qui, ùt decet, Pastor populorum esse velit, nulli plus gloriæ afferre: quia raró conveniunt imperii comes sollicitudo, & aptus colendæ menti secessus. Idem profectò centrum ferè nunquam habent civilium curarum & sublimium disciplinarum circuli : in tanto negotiorum cir-

cuitu rectà ad doctrinæ culmen ascendere non minùs forsan difficile Politico videatur, quàm Geometræ curvas rectis æquare, cujus rei specimen exhibet hîc edita dissertatio. Superavit tamen omnes obices tua Celsitudo, tibique fidum in mediis tempestatibus portum condere potuisti, & egregiis plerisque scriptoribus quos tuarum fama virtutum ad Paderæ fontes allicit, ubi venam quovis latice puriorem nanciscuntur, ubi te præeunte citiùs discunt quò properandum sit, quàm si studiis in umbra educatis anxiè semotos calles investigarent. Longum scilicet iter est per præcepta, breve per exempla, brevissimum per exempla Principis viri, quem etiam avia peragrantem loca plurimi libenter sequi conantur; sed paucissimi sunt qui tuis inhærere vestigiis queant; & dum opias.

Voce ciere viros, Phœbumque accendere cantu,

*Vocis tuæ suavitas tuis non mediocriter votis obstat. Deterret nimirum qui sic hortatur; silere docet, qui tam doctè loquitur. Id ego experior quoties opera tua pervolvo, quæ mihi licet ignoto & immerenti mittere voluisti: illa semper, adulationis expers, cujus causas procul habeo, mirari simul & laudare gaudeo quæ vix quisquam imitari posse confidat. Monumentis enim Paderbornensibus, quæ tam munificè restaurans tam eleganter celebras, monumentum longè perennius exegisti: si Quinctilii Vari, cujus cladem cedro dignis carminibus memoras, Legiones Romæ reddi nequeunt, at saltem tui sermonis illecebris & venustate Vari vel Augusti sæculum ei reddere videris, Virgiliumque simul & Horatium ac utriusque præsidium & decus referre. Augurabatur olim lepidus Vates non defuturos Marones, quandiu sint Mæcenates, sed quidquid præclarum in Mæcenate & Marone fuit, in eodem pectore reperiri posse nemo speraverat, sive quòd nimia copia Poëtas inopes & steriles plerunque reddit (unde Theocritus * Diophanto fatetur artes excitari paupertate, quam laboris magistram vocat) sive quòd alienis carminibus ei non opus est qui suis satis oblectari potest, ut adoptivos liberos quærere non solet cui natura legitimam sobolem dedit. Verùm in te, Celsissime Princeps, collecta non sine stupore cernimus, quæ divisa tam illustres alios effecerunt; & tua singularis humanitas, quæ tot eximias dotes connectens, cœlestes gemmas auro inserere videtur, spondet à te benignè excipiendum, tuoque in sinu fovendum hunc ingenii paterni partum, qui suo defensore orbatus, ùt posthumus, tuo patrocinio indiget, quod venerabundus exposco.*

* Idyl. 16.

DE CELSISSIMO PRINCIPE

FERDINANDO FURSTENBERGIO,

Episcopo Paderbornensi, &c.

OB AVREVM NVMISMA, IN QVO illius imago conspicitur, missum.

AUREA Pierio quam culmine mittis imago
Quæ nostros ingressa lares fulgore replevit
Immeritamque manum, Phœbi ipsa referre videtur
Ora, solo qui cuncta fovet, nec florea tantum
Rura super lætus rutilat glebasque feraces,
Cernere sed sterilem non dedignatur arenam;
Sic hilares oculos simul & cum fronte serena
Innocuos mores insignis vultus adumbrat;
Sit tamen ars quamvis spectanda numismatis, illam
Effigiem superavit opus quodcunque Camænis
Sponte tuis fluxit dulci de fonte leporum:
Scilicet Aonij meliùs te vertice montis
Spirantem ostendunt Musæ, dum natus Olympo
Doctrinam pietate auges, castasque sorores
Ad superos tollens, dignoscis quam sit inane
Ornari ingenium, nimioque calescere motu,
Si vacuum æthereo pectus non uritur igne.
Luminibus quantis & quot virtutibus omnes
SUAVITER * alliciens animos, validique catenis
Eloquij blandus victor trahis! his ego sensi
Me placidè captum jampridem, nec tibi possim
Hoc magis addici, qui me devincit, honore.
At quas nunc grates referam? Te principe Vatum
Munera digna mihi Romanaque carmina desunt;
Carmina Mæcenas sed tu par ipse Maroni
Nostra nec expectas, nec vilia munera quæris.
Non eget exiguâ sublimis arundine laurus,
Et raucæ non vocis eget tua fama susurro;
Sat nitidis Latio quibus aurea redditur ætas
Eximias scriptis potuisti pandere dotes,
Purior illimi ceu splendens flumine solus,
Ut decet, ipse suis radijs se pingit Apollo.

* Illustrissimi Principis tessera SUAVITER & FORTITER.

DE PRINCIPIS EIUSDEM PRÆCLARO Monumentorum Paderbornensium opere.

DUM Paderæ fontes æterno carmine Princeps
Aonij celebrat spes columenque chori,
Ut superat quæ sic ponit monumenta, suisque
Altius ipse aliud tollit ad astra modis!
Hujus Cana fides ornat pia pectora, mentem
Lux Sophiæ, Latij priscus & ora lepor.
Amissas * his olim Aquilas quæ flevit in arvis,
Delicias illinc Roma decusque trahit.
Fernandi eloquium Tiberis miratur, & ævi
Immemor, Augusti sæcla redire putat.

* Natus est Illustris. Princeps in ea Germaniæ parte in qua cæsæ fuerunt Quinctilii Vari Legiones.

DE EODEM PRINCIPE QUI MIRANDIS *ingenii doctrinæque dotibus stemmatis ac dignitatum splendorem augens, pacem omnibus morum & facundiæ suavitate persuadere possit.*

ODE.

NUnc corda mulcens ô utinam Sacer
Notos recursans per fluvios Olor
Mox cogat infensos canorâ
Voce potens lituos silere;
Hic prima Pindi gloria cui favet
Phœbus, nitentem Lilia quem tegunt,
Quas ore non compescat iras
Pieriâ modulatus arte?
Ut cum querelis dulcisonis nemus
Vox blanda latè lusciniæ replet,
Discordis oblitæ susurri
Mille solent volucres tacere;
Non ille frustra sit patriæ datus
A quo feroces flecti animi queunt;
Martis nec incassum per arua
Threicius cecinit Sacerdos:
Orpheus parentem Calliopen colens
Lenire plectro quot didicit feras!
Sermone sic præstat domare
Pectora, quam superare ferro.

ERUDITO LECTORI.

NON te latet, Erudite Lector, opera Mathematica præfatione vix indigere: nam ut Paralogismi culpam frustrà longo sermone Geometra deprecari vellet, aut pro vera demonstratione falsam obtrudere; ita non opus est assensum solidæ rationis viribus debitum suppliciter efflagitare, quem adversarius videns sciensque, licet valdè reluctans, denegare non possit. Præterea supervacaneum foret laudes Mathematum fusè celebrare, cùm hanc spartam tot egregij scriptores adornandam jampridem susceperint. Quis enim nescit Geometriam & uberes illius fructus ad cœlum evehi à Platone, qui non solùm eam divinitùs humanæ menti insitam, sed etiam ab ipso numine excoli putavit? nonne meritò Mathesis à Philone vocata fuit liberalium artium metropolis, quas, ubi desit illa, luminibus, & veluti manibus orbatas esse liquet? Unde à vero non aberrat qui ut manum instrumentum ante instrumenta, sic & Mathesin dici posse credit artem ante alias artes, cum illius terrâ marique, & bello ut pace, tam evidens utilitas sit; quod unus instar omnium docuit olim Archimedes, dum infirmus corpore sed invictus ingenio senex, obsidionis Syracusanæ pars maxima, patriæ vis summa fuit, Briareus & Centimanus à Romanis appellatus: Quamobrem admiratione perculsum Marcellum licet hostem ab eo tot damnis affectum ei tamen inimicum esse noluisse Livius tradit, sed propinquis inquisitis honori præsidioque nomen, ac memoriam tanti viri fuisse. Mathematicas deinde disciplinas ansas Philosophiæ videri quis diffiteatur? cum Philosophus quamvis abundè Logicæ versutijs & argutijs instructus, si lux mathematica non affulgeat in Physica comparari possit Polyphemo in spelunca occæcato, & muneris, quo frui potuit, usum nescienti, vini scilicet, cui præclarus non ita pridem Philosophus Geometriam similem dici posse arbitratus est, quod recens inflat, vetus oblectat & vires auget. At non istorum operum Authorem inflavit unquam Mathesis, & tot demonstrationes, dum ab ipso non sunt editæ, quibuslibet argumentis meliùs demonstrant eum ab ostentatione laudisque cupidine alienum fuisse. Quòd autem de illarum sorte sollicitus non fuit, ferè semper autographa nullo servato responsorum exemplari mittere solitus, parum abfuit quin hæc, quæ fortè non interitura credes, omninò extincta fuerint, antequam in publicam lucem prodirent. Hinc fit ut quia hæc sparsim disjecta colligere facile non fuit, fato posthumorum operum serò, pauciora, & minus culta typis edantur. Hinc etiam contingere poterit ut omnia quæ hîc occurrent tibi non videantur nova: sed quamvis alij de quibusdam rebus, quas hîc invenies, scripserint & lucubrationes suas priùs vulgaverint, non ideò minùs hæc inventa istorum operum Authori debentur, qui adeò fastûs, & invidiæ expers fuit, ut aliena suis sat aliunde notis immiscuisse credi non possit, qui sua vix sibi tribuebat. Ab eo, exempli causâ, libri duo Apollonij Pergæi de locis planis procul dubio restituti sunt, licet Franciscus Schooten Academiæ Lugduno Batavæ Professor illos à se restitutos asserat; nam sua typis mandavit Franciscus Schooten anno 1657. sed libros duos, qui hîc extant, Apollonij Pergæi de locis planis se vidisse Lutetiæ manuscriptos, nec non ad locos planos & solidos Isagogen, testis omni exceptione major Herigonius asserit tomo 6. cursûs Mathematici editi anno 1634. Credere tamen, vt dixi, malim Batavum Professorem eâdem de re scripsisse, quàm ab eo, vel à quovis alio aliquid perpetratum esse suspicari quod ingenuum animum dedeceat, vel inverecundiam plagij probare possit. Verum in istis, ni fallor, operibus, de quibus te non ex parva mole judicaturum sat scio, occurret tibi non injucunda varietas, ut & in epistolis, quæ vel ab Authore, vel ad ipsum à plerisque doctissimis viris scriptæ fuerunt. Has inter sunt nonnullæ Pascalij in quibus ingenij non minùs tersi quàm perspicacis radios agnosces, quos ejusdem aliæ lucubrationes, & ipsæ satis exhibent Pascalij cogitationum reliquiæ: illud enim opus in quo *pendent opera interrupta*, multis eximium Matheseos circa res sacras specimen videtur, *æquataque machina cœlo*. Quis autem ignorat qualis quantusque Geometra & quam insignis in Academia Parisiensi Professor fuerit Robervallius, cujus hîc aliquot epistolas legere poteris & perlegisse gaudebis? Eduntur hîc quoque nonnullæ Gallicè vel Italicè scriptæ à Kenelmo Digbæo, qui præter generis nobilitatem & honores gestos, non solùm ingenio doctrinâque, sed etiam pietate conspicuus fuit, ac veræ Religionis cultu, quam ut gladio, sic & calamo tueri conatus est, ut fidem facit aureus illius liber de veritate Catholicæ Religionis Anglicè scriptus. Illis epistolis additur una aut altera Frenicli, cujus miram Arithmetica problemata solvendi facilitatem à multis prædicatam, & ejusdem responsis confirmatam Analystæ norunt. Quas verò non adjecimus circà Cartesianam Dioptricam epistolas legere poteris in tertio volumine epistolarum Cartesij cujus stupendæ sagacitatis circà Geometriam admiratione se captum fatetur is etiam qui nonnunquam ab eo dissentit. Ut autem in varijs istis operibus, sic & in epistolis multa reperies quæ ad Geometriam, vel Analyticen pertinent aut numerorum arcana, de quibus si plura videre cupias, habes observationes ad Diophantum, cujus opera typis mandari curavi anno 1670. & Doctrinæ Analyticæ inventum novum collectum è variis epistolis D. Petri de Fermat ab insigni Geometra R. P. Jacobo de Billy S. J. Sacerdote. Est hîc prætereà nonnihil circa Mechanicam & Geostaticam, nec non Dioptricam ac Physicam, circà quàm v. g. non contemnendam fore confido epistolam de proportione quâ gravia decidentia accelerantur, ad Gassendum, quæ ipsi Gassendo viro exquisitæ eruditionis, & candore ac moribus qui Christianum Philosophum decent, prædito non displicuit, ut ejus responso, licet brevi, satis patet. Sic etiam celebris Itali Geometræ Abbatis Bened. Castelli epistola probat ei non displicuisse quæ hîc scripta sunt circà motum gravium aut centrum gravitatis. Cæterùm in his Parentis mei operibus & epistolis quæ multas disputationes circà quæstiones arduas continent, & quibus duas addidimus criticis observationibus non spernendis refertas, nullam vocem quæ sit acerbior, nullum pervicacis controversiæ vel amarulentæ contentionis occurrere vestigium, poteris observare. Id innatam mansuetudinem Authoris arguit, qui nullâ contradicendi libidine veritatem quærens, illam ab alijs inveniri gaudebat & gratulabatur: qui secùs agunt eam ut juvenes proci colere videntur, dum sibi dumtaxat affulgere vellent quod diligunt; sed qui veritatem divino, ut par est, amore prosequuntur, ipsam omnibus innotescere cupiunt, suamque felicitatem augeri putant, cum ejusdem plurimi fiunt participes. Epistolas verò ad Authorem scriptas, quæ hîc extant, ut nactus sum, edendas ingenuè existimavi, nullomodò minuere sed augere cupiens tantorum virorum famam, quorum alia responsa, nondum prælo commissa, si mihi suppeterent, ut harum disputationum seriem edere non pigeret. Ex istis autem operibus, Erudite Lector, fructûs, ni fallor, & voluptatis non parùm percipere poteris & si quid incuriâ Typographorum erratum sit, illud suppleas aut ignoscas quæso.

Schemata suis locis in toto opere, ut in illius parte, reperirentur, nisi defuisset sculptor ligni notis Geometricis incidendi peritus; sed figuræ quæ cum textu edita non fuerunt, ad libri calcem sunt rejecta, numeris paginarum, ad quas referuntur, appositis, quod semel monuisse sufficiat.

ELOGE DE MONSIEVR DE FERMAT,

Conseiller au Parlement de Tolose.

Du Iournal des Sçavans, du Lundy 9. Fevrier 1665.

ON a appris icy avec beaucoup de douleur la mort de M. de Fermat Conseiller au Parlement de Tolose. C'estoit un des plus beaux esprits de ce siecle, & un genie si universel & d'une estenduë si vaste, que si tous les sçavans n'avoient rendu témoignage de son merite extraordinaire, on auroit de la peine à croire toutes les choses qu'on en doit dire, pour ne rien retrancher de ses loüanges.

Il avoit toûjours entretenu une correspondance tres-particuliere avec Messieurs Descartes, Toricelli, Pascal, Frenicle, Roberval, Hugens, &c. & avec la pluspart des grands Geometres d'Angleterre & d'Italie. Mais il avoit lié une amitié si étroite avec M. de Carcavi, pendant qu'ils estoient confreres dans le Parlement de Tolose, que comme il a esté le confident de ses estudes, il est encore aujourd'huy le depositaire de tous ses beaux écrits.

Mais parce que ce Journal est principalement pour faire connoître par leurs ouvrages les personnes qui se sont renduës celebres dans la republique des lettres; on se contentera de donner icy le catalogue des écrits de ce grand homme; laissant aux autres le soin de luy faire un éloge plus ample & plus pompeux.

Il excelloit dans toutes les parties de la Mathematique; mais principalement dans la science des nombres & dans la belle Geometrie. On a de luy une methode pour la quadrature des paraboles de tous les degrez.

Une autre *de maximis & minimis*, qui sert non seulement à la determination des problemes plans & solides; mais encore à l'invention des touchantes & des lignes courbes, des centres de gravité des solides, & aux questions numeriques.

Une introduction aux lieux, plans & solides; qui est un traité analytique concernant la solution des problemes plans & solides; qui avoit esté veu devant que M. Descartes eut rien publié sur ce sujet.

Un traité *de contactibus sphæricis*, où il a demonstré dans les solides ce que M. Viet Maître des Requestes, n'avoit demonstré que dans les plans.

Un autre traité dans lequel il rétablit & demonstre les deux livres d'Apollonius Pergæus, des lieux plans.

Et une methode generale pour la dimension des lignes courbes, &c.

De plus, comme il avoit une connoissance tres-parfaite de l'antiquité, & qu'il estoit consulté de toutes parts sur les difficultez qui se presentoient; il a éclaircy une infinité de lieux obscurs qui se rencontrent dans les anciens. On a imprimé depuis peu quelques-unes de ses observations sur Athenée; & celuy qui a traduit le Benedetto Castelli de la mesure des eaux courantes, en a inseré dans son ouvrage une tres-belle sur une Epistre de Synesius, qui estoit si difficile, que le Pere Petau qui a commenté cét autheur, a advoüé qu'il ne l'avoit peu entendre. Il a encore fait beaucoup d'observations sur le Theon de Smyrne & sur d'autres Autheurs anciens. Mais la pluspart ne se trouveront qu'éparses dans ses Epitres; parce qu'il n'écrivoit gueres sur ces sortes de sujets, que pour satisfaire à la curiosité de ses amis.

Tous ces ouvrages de Mathematique, & toutes ces recherches curieuses de l'antiquité, n'empéchoient pas que M. de Fermat ne fit sa charge avec beaucoup d'assiduité, & avec tant de suffisance, qu'il a passé pour un des plus grands Jurisconsultes de son temps.

Mais ce qui est de plus surprenant, c'est qu'avec toute la force d'esprit qui estoit necessaire pour soûtenir les rares qualitez dont nous venons de parler, il avoit encore une si grande delicatesse d'esprit, qu'il faisoit des vers Latins, François & Espagnols avec la méme elegance, que s'il eût vêcu du temps d'Auguste, & qu'il eût passé la plus grande partie de sa vie à la Cour de France & à celle de Madrid.

On parlera plus particulierement des ouvrages de ce grand homme, lors qu'on aura recouvert ce qui en a esté publié, & qu'on aura obtenu de M. son fils la liberté de publier ce qui ne l'a pas encore esté.

OBSERVATION DE MONSIEUR de Fermat sur Synesius, rapportée à la fin de la traduction du livre de la mesure des eaux courantes, de Benedetto Castelli.

LES pages qui restent vuides dans ce cayer m'ont donné la pensée de les remplir de la belle observation que j'ay apprise ces jours passez, de l'incomparable Monsieur de Fermat, qui me fait l'honneur de m'aimer, & de me souffrir souvent dans sa conversation. C'est sur la quinziéme Lettre de Synesius Evéque de Cyrene, qui traite d'une matiere qui n'a esté entenduë par aucun des interpretes, non pas mémes par le sçavant Pere Petau, ainsi qu'il l'advouë luy-méme dans les Notes qu'il a faites sur cét Autheur; Et je donne d'autant plus volontiers cette observation, qu'elle a beaucoup de rapport avec les traitez qui sont cy-devant.

Cét Evéque écrit à la sçavante Hypatia, qui estoit la merveille de son siecle, & laquelle enseignoit publiquement la Philosophie, avec l'admiration de tous les sçavans, dans la celebre Ville d'Alexandrie. J'ay traduit cette Lettre du Grec en cette maniere. Je me trouve si mal, que j'ay besoin d'un hydroscope. Je vous prie d'en faire faire un de cuivre, & de me l'acheter. C'est un tuyau en forme de Cylindre, qui a la figure & la grandeur d'une fleute; sur sa longueur il porte une ligne droite, qui est coupée en travers par de petites lignes, par lesquelles nous jugeons du poids des eaux. L'un des bouts est couvert d'un cone, qui est posé également dessus, en telle sorte que le tuyau & le cone ont une méme base. L'on appelle cét instrument Baryllion. Si on le met dans l'eau par la pointe il y demeurera debout, & l'on peut aisement compter les sections qui coupent la ligne droite, & par là l'on connoit le poids de l'eau.

Comme nous avons perdu la figure & l'usage de cét instrument, de méme qu'une infinité d'autres belles choses, que les Anciens avoient inventées, & dont ils se servoient, les sçavans de ce temps icy se sont donnez beaucoup de peine pour comprendre quel estoit cét instrument dont parle Synesius. Il y en a qui ont crû que c'estoit une Clepsydre, mais le Pere Petau a rejetté avec raison cette opinion. Pour luy, il advouë, qu'il ne le comprend pas, il soupçonne pourtant que c'estoit un instrument qui servoit à niveler les eaux, & qui avoit du rapport avec celuy dont Vitruve fait mention au livre 8. ch. 6. de son Architecture, qu'il appelle Chorobates, mais il est aisé de juger par la lecture de Vitruve, & de Synesius, que ce sont deux instrumens fort differens, & en figure, & en usage, & que si tous deux ont des sections, comme remarque le Pere Petau, celles du Chorobates sont perpendiculaires sur l'horizon, & celles de l'hydroscope luy sont paralleles. Je passe sous silence plusieurs autres differences, que je pourrois remarquer, pour rapporter le sentiment de Monsieur de Fermat, qui est sans doute le veritable sens de Synesius. Cét instrument servoit pour examiner le poids des differentes eaux pour l'usage des malades; car les Medecins sont d'accord que les plus legeres sont les meilleures; le terme ῥοπὴ, dont se sert Synesius le monstre clairement. Il ne signifie pas icy *libramentum* le nivelement, comme a crû le Pere Petau, mais en matiere de Machines, il signifie le poids, que les Latins appellent *momentum*, & de la le traité des equiponderans d'Archimede a pour titre Ἰσοῤῥοπικῶν. Mais dautant que la balance, ny aucun autre instrument artificiel, ne pouvoit pas donner exactement la difference du poids des eaux, à cause qu'elle est petite entre elles, les Mathematiciens inventerent sur les principes du traité d'Archimede *de his quæ vehuntur in aqua*, celuy dont parle Synesius, qui monstre par la nature des eaux mêmes, la difference du poids qu'elles ont entr'elles, la figure en est telle; A F est un Cylindre de cuivre, A B est le bout d'en haut, qui est toûjours ouvert, E F est le bout d'embas, qui est couvert du cone E I F, qui a la même base que le bout d'embas, A E, B F, sont deux lignes droites coupées par diverses petites lignes, tant plus il y en aura, tant plus exact sera l'instrument. Si on le met par la pointe du cone dans l'eau, & qu'on l'ajuste en telle sorte qu'il se tienne debout, il n'y enfoncera pas entierement; car le vuide qu'il a au dedans l'en empéchera; mais il y enfoncera jusques à une certaine mesure, qui sera marquée par les petites lignes; & il y enfoncera diversement, suivant que l'eau sera plus ou moins pesante; car plus l'eau sera legere, plus il y enfoncera: & moins, plus elle sera pesante, comme il nous seroit aisé de le demonstrer, s'il en estoit question icy. Voila la figure & l'usage de cét instrument, & la raison de cét usage. La lettre de Synesius s'y rapporte si exactement dans toutes ses circonstances, que feu Monsieur de Monchal, Archevéque de Tolose, ayant envoyé cette explication au Pere Petau, il advoüa que Monsieur de Fermat estoit le seul qui avoit compris quel estoit l'instrument, & il avoit écrit que dans une seconde impression il la mettroit dans ses notes. Mais parce que cela n'a pas esté fait, j'ay crû que le Lecteur sçavant & curieux ne sera pas marry que je luy en aye fait part.



LETTRE DE MONSIEUR DESCARTES A MONSIEUR DE FERMAT,

pag. 347. tom. 3. des Lettres de Monsieur Descartes.

MONSIEUR,

Je n'ay pas eu moins de joye de recevoir la Lettre par laquelle vous me faites la faveur de me promettre vostre amitié, que si elle me venoit de la part d'une Maistresse, dont j'aurois passionnement desiré les bonnes graces. Et vos autres écrits qui ont precedé me font souvenir de la Bradamante de nos Poëtes, laquelle ne vouloit recevoir personne pour serviteur, qui ne se fut auparavant éprouvé contr'elle au combat. Ce n'est pas toutefois que je pretende me comparer à ce Roger, qui estoit seul au monde capable de luy resister; mais tel que je suis, je vous asseure que j'honnore extremement vôtre merite. Et voyant la derniere façon dont vous usez pour trouver les tangentes des lignes courbes, je n'ay autre chose à y répondre, sinon qu'elle est tres-bonne, & que si vous l'eussiez expliqué au commancement en cette façon, je n'y eusse point du tout contredit, &c.

P. Herigonius, tom. 6. Curſus Mathematici p. 68.

De Maximis & minimis.

NUnquam fallit hæc methodus, ut aſſerit ejus inventor, qui eſt doctiſſimus Fermat Conſiliarius in Parlamento Toloſano excellens Geometra nec ulli ſecundus in arte Analytica : qui optimè etiam reſtituit omnia loca plana Apollonij Pergæi, quæ in hac urbe vidimus manuſcripta in manibus plurimorum, quibus ſubnexa eſt ab eodem auctore ad locos planos & ſolidos Iſagoge.

D. ISMAEL BULLIALDUS
Exercitatione de Poriſmatibus.

HAnc de poriſmatibus ſcriptiunculam datâ mihi occaſione compoſui, cùm ante biennium vir illuſtriſſimus ac ampliſſimus Dominus de Fermat in ſuprema Curia Toloſana Senator integerrimus & in judicijs exercendis peritiſſimus, rerum Mathematicarum doctiſſimus, propoſitiones quaſdam ſubtiliſſimas & poriſmata quæ tam theorematicè quam problematicè proponi poſſunt, ad amicos ſuos huc miſiſſet. Ex Pappi unius monumentis & collectionibus Mathematicis poriſmatum naturam & uſum diſcere poſſumus, cùm ex Veteribus qui hanc Geometriæ partem attigerunt, præter ipſum nullus ſuperſit. Illius tamen ſententia legenti ſtatim obuia non eſt; textuſque corruptione, & applicationis poriſmatum defectu obſcurior proculdubio evadit. Interea dum tanto viro ſua edere libuerit, noſtra, qualiacumque tandem ſint, publici juris facere placuit; ut alios ad eorundem inveſtigationem impelleremus; ipſumque Ampliſſimum Dominum de Fermat, ad ſua edenda, utinam & ad alia ſublimis intellectus ſui ἀἐήματα cum omnibus communicanda, excitaremus. Is enim eſt, quem omnes Europæ Mathematici ſuſpiciunt; quem à ſubtiliſſimis ætatis noſtræ Geometris Bonaventura Cavallerio Bononiæ, & Evangeliſta Toricello Florentiæ ſummis laudibus in cœlum ferri, ejuſque inventa mirabilia prædicari auribus meis audivi, quem etiam virum tam eximiis virtutibus clarum, multâque eruditione ornatum, ac in rebus Mathematicis oculatiſſimum toto pectore veneror ac colo.

R. P. Marinus Merſennus Ordinis Minimorum, Reflexionum Phyſicomathematicarum pag. 215.

CUm autem vivos potiùs quam mortuos quærerem, unus abſuit Clariſſimus Fermatius, Geometrarum Coryphæus; quem tamen Burdigalam redux, ductore integerrimo, doctiſſimoque Senatore, Domino d'Eſpagnet, velut avulſum Bergeraco, triduò amplexus ſum.

Samuel Sorberius in præfatione operum Gaſſendi.

PETRUM Fermatium tam longo intervallo Vietam, Diophantum & Pythagoreos omnes poſt ſe relinquentem.

VARIA

VARIA OPERA MATHEMATICA D. PETRI DE FERMAT SENATORIS TOLOSANI.

AD LOCOS PLANOS ET SOLIDOS ISAGOGE.

DE locis quàm plurima ſcripſiſſe veteres, haud dubium. teſtis Pappus initio libri 7. qui Appollonium de locis planis, Ariſtæum de ſolidis ſcripſiſſe aſſeverat. Sed aut fallimur, aut non proclivis ſatis ipſis fuit locorum inveſtigatio. Illud auguramur ex eo quod locos quàm plurimos non ſatis generaliter expreſſerunt, ut infra patebit.

Scientiam igitur hanc propriæ & peculiari analyſi ſubjicimus, ut deinceps generalis ad locos via pateat.

Quoties in ultima æqualitate duæ quantitates ignotæ reperiuntur, fit locus loco, & terminus alterius ex illis deſcribit lineam rectam, aut curvam, linea recta unica & ſimplex eſt, curva infinita, circulus, parabole, hyperbole, ellipſis, &c.

Quoties quantitatis ignotæ (lineæ rectæ reponendum) terminus localis deſcribit lineam rectam, aut circularem, fit locus planus : at quando deſcribit parabolem, hyperbolem, vel ellipſim, fit locus ſolidus : ſi alias curvas, dicitur locus linearis. De hoc nihil adjungemus, quia facillimè ex planorum & ſolidorum inveſtigatione, linearis loci cognitio derivabitur, mediantibus reductionibus.

Commode autem poſſunt inſtitui æquationes, ſi duas quantitates ignotas ad datum angulum conſtituamus, quem ut plurimum rectum ſumemus, & alterius ex illis poſitione datæ terminus unus ſit datus, modò neutra quantitatum ignotarum quadratum prætergrediatur, locus erit planus aut ſolidus, ut ex dicendis clarum fiet.

A

Recta data positione sit N Z M. cujus punctum datum N. N Z. æquetur quantitati ignotæ A. & ad angulum datum N Z I. elevata recta Z I. sit æqualis alteri quantitati ignotæ E. D in A æquetur B. in E. Punctum I. erit ad lineam rectam positione datam.



DA § BE.

Erit enim ut B ad D. ita A. ad E. Ergo ratio A ad E. data est, & datur angulus ad Z. triangulum igitur N I Z. specie, & angulus I N Z. Datur autem punctum N. & recta N Z. positione. Ergo dabitur N I. positione, & est facilis compositio.

Ad hanc æqualitatem reducentur omnes, quarum homogenea partim sunt data, partim ignotis A & E admixta, vel in datas ductis, vel simpliciter sumptis.

Zp — D A § B in E.

fiat D in R. æquale Zp

Erit ut B. ad D. ita R — A ad E.

Fiat M N. æqualis R. dabitur punctum M. ideoque M Z. æquabitur R — A. dabitur ergo ratio M Z. ad Z I. sed angulus ad Z. datur: ergo triangulum I Z M. specie, & concludetur rectam M I. junctam dari positione: ideoque punctum I. erit ad rectam positione datam: idemque nullo negotio concludetur in qualibet æqualitate cujus homogenea quædam afficientur ab A. vel E.

Et est simplex hæc & prima locorum æqualitas, cujus beneficio invenientur loci omnes ad lineam rectam; verbi gratia 7. prop. lib. 1. Appollonii de locis planis, quæ generaliùs jam poterit enuntiari & construi.

Huic æqualitati subest pulcherrima propositio sequens, quam illius ope deteximus.

Si sint quotcumque lineæ positione datæ atque ad ipsas à quodam puncto ducantur rectæ in datis angulis, sit autem quod sub ductis & datis efficietur dato spatio æquale, punctum rectam lineam positione datam continget.

Infinitas omittimus, quæ Appollonianis meritò possent opponi.

Secundus hujusmodi æqualitatum gradus est, quando,

A in E. æq. Z. pl. — AE § Zp

quo casu punctum I. est ad hyperbolem.



Fiat N R. parallela Z I. sumatur in N Z. quodvis punctum, ut M. à quo ducatur M O. parallela Z I. & fiat rectang. N M O. æquale Z pl. per punctum O. circa asymptotos N R. N M. describatur hyperbole, dabitur positione, & transibit per punctum I. cùm ponatur rectang. A. in E. sive N Z I. æquale N M O. ad hanc æqualitatem reducentur omnes quarum homogenea partim sunt data vel ab A. vel E aut A in E. affecta.

Ponatur Dp + A in E. (æq.) R in A + S in E. Igitur ex artis præceptis, R in A + S in E — A in E. æquabitur Dp — Dp + AE ∞ RA + SE.

Effingatur rectang. abs duob. laterib. in quo homogenea R in A + S in E — A in E. reperiantur. Uno verbo A S. æquetur O. & R — E. æquetur I. igitur O I ∞ Dp quod proponitur, & hæc erit constructio, Dp æquetur A E B. rectang. igitur A C F. erit O in I. erunt duo latera A — S & R — E. & rectang. sub ipsis æquabitur.

R in A + S in E — A in E — R in S.

Si igitur à Dp abstuleris R in S. rectangulum sub A — S, in R — E. æquabitur Dp — R in S.

Fiat N O. æqualis S. & N D. parallela Z I. fiat æqualis R. per punctum D. ducatur D P. parall. N M. O V. parall. N D. & Z I. producatur in P. Cùm N O. æquetur S, & N Z, A: ergo A — S. æquabitur O Z, sive V P, similiter cùm N D. sive Z P. æquetur R, & Z I, E, ergo R — E, æquabitur P I, Rectangulum igitur sub V P, in P I. æquatur dato Dp — R in S: ergo punctum I, erit ad hyperbolem, cujus asymptoti





PV, VO. Rectangulo enim Dp — R in S, æquetur sumpto quovis puncto X, & ductâ parall. X Y, Rectang V X Y, & per punctum Y, circa asymptotos P V, V O, hyperbole describatur, per punctum I, transibit, nec est difficilis in quibuslibet casibus analysis aut constructio.

Sequens æqualitatum localium gradus est cùm A^2 vel æq. E^2 vel est in ratione data ad E^2 vel etiam A^2 + A in E, est ad E^2 in data ratione, denique hic casus omnes æquationes comprehendit intra metam quadratorum, quarum homogenea omnia vel à quadrato A, vel à quad. E, vel à rectang. A in E. afficiuntur.

$A^2 \infty E^2$ A^2 ad E^2 in ratione data $A^2 + AE$, ad E^2 in ratione.

His omnibus casibus punctum I, est ad lineam rectam, cujus rei demonstratio facillima.

Sit NZ, quad. $+ NZ$, in ZI, ad ZI, quad. in ratione data, ducatur quævis parallela OR, quadratum $NO + NO$ in OR erit ad OR quadratum, in eadem ratione, ut est facillimum demonstrare. Punctum igitur I, erit ad rectam positione. Sumatur enim quodvis punctum, ut O, & fiat data ratio quadrati $NO + NO$, in OR, ad OR, quadratum. Juncta NR. dabitur positione, & satisfaciet proposito; idemque continget in quibuslibet æquationibus, quarum omnia homogenea à potestatibus ignotarum, vel rectangulo sub ipsis afficientur, ut inutile sit singulos casus scrupulosiùs perquirere.

Si potestatibus ignotarum, vel rectangulis sub ipsis, admisceantur homogenea, partim omnino data, partim sub data recta in alteram ignotarum, difficilior evadit constructio, singulos casus construimus breviter & demonstramus.

$A^2 \infty DE$. Si A^2 æq. D in E, punctum I, est ad Parabolem.



constituantur NZ, & ZI, ad quemcumque angulum Z.

Fiat NP, Parallela ZI, & circa diametrum NP describatur parabole, cujus rectum latus recta D, datæ, & applicatæ sint parallellæ NZ. punctum I. erit ad parabolem hanc positione datam. Ex constructione rectangulum sub D, in NP, æquabitur quadrato PI, hoc est, si PI, intelligatur esse A, & NP, intelligatur esse E, D, in E, æquabitur A^2.

Ad hanc æquationem facillimè reducentur omnes in quibus A^2, miscetur homogeneis sub datis in E, aut E^2, homogeneis sub datis in A, idemque continget, licèt homogenea omnino data æquationibus misceantur.

Sit E^2, æquale D in A.

$E^2 \infty DA$. In præcedenti figura vertice N, circa diametrum NZ, describatur parabole, cujus rectum latus sit D, & applicatæ rectæ NP, parallela, præstabit propositum, ut patet,

$B^2 - A^2 \infty DE$ $B^2 - DE \infty A^2$. Ponatur $B^2 - A^2$ æqu. D in E. Ergo $B^2 - D$ in E æquabitur A^2.



Applicetur B^2 ad D, & sit æquale D. in R.

Ergo D in $R - D$ in E, æquabitur A^2 Ideoque D in $R - E$ æquabitur A^2.

Ideoque hæc æquatio reducetur ad præcedentem. Recta quippe $R - E$, succedet ipsi E.

Fiat quippe NM, parallela ZI, & æqualis R, & per punctum M ducatur MO, parallela NZ, datur punctum M, & recta MO, positione, in hac constructione OI, æquatur $R - E$. ergo D. in OI, æquabitur NE quad. sive MO quad. vertice M. circa diametrum MN, descripta parabole, cujus dextrum latus D, & applicatæ ipsi

NZ, parallelæ, præstabit propositum, ut patet ex constructione.

Si $B^2 + A^2$ æqu. D in E.

D in $E - B^2$ æquabitur A^2 &c. vt supr. similiter omnes æquationes affectæ construentur.

Sed A^2 miscetur sæpe E^2 & homogeneis omnino datis.

$B^2 - A^2$ æquetur E^2. $B^2 - A^2 \infty E^2$.

Punctum I est ad circulum positione datum, quando angulus NZI. est rectus.

Fiat NM, æqualis B, circulus centro N. intervallo NM, descriptus præstabit propositum, hoc est quodcumque punctum sumpseris in ipsius circumferentia ut I, quadratum ZI, æquabitur quadr. NM, sive B^2 quad. NZ, sive A^2 ut patet.

Ad hanc æquationem reducentur omnes affectæ ab A^2 & E^2, & ab A, vel E, in datas ductis, modo angulus NZI, sit rectus, & præterea coefficientes A^2 æquentur coefficientibus E^2.

Sit $B^2 - {}^2D$ in $A - A^2$, æquale $E^2 + {}^2R$ in E. Addatur utrimque R^2, ut E, $+ R$, succedat E, fiet $R^2 + B^2 - {}^2D$ in $A - A^2$ æqu. $E^2 + R^2 + {}^2R$, in E. ipsis R^2 & B^2, addatur D^2, ut $D + A$ succedat ipsi A, & summa quadratorum R^2, B^2: & D^2 æquetur P^2. $B^2 - {}^2DA - A^2 \infty E^2 + {}^2RE$.

Ergo auferendo scilicet D^2, quod utrimque fuerat additum, $P^2 - D^2 - {}^2D$ in $A - A^2$.

Æquabitur $R^2 + B^2 - {}^2D$ in $A - A^2$.

Nam ex constructione $P^2 - D^2$ æquatur $R^2 + B^2$, si igitur loco ipsius $A + D$, sumpseris A, & loco $E \mp R$ sumpseris E.

Fiet $P^2 - A^2$: æq. E^2.

Et reducetur æquatio ad præcedentem.

Simili ratiocinatione similes æquationes reducentur & hac viâ omnes propositiones secundi libri Appollonii de locis planis construximus, & sex priores in quibuslibet punctis habere locum demonstravimus; quod sanè mirabile est, & ab Appollonio fortasse ignorabatur.

Sed $B^2 - A^2$ ad E^2, habeat rationem datam.

Punctum I. erit ad Ellipsim. $B^2 - A^2$. ad E^2 rati.

Fiat MN. æqualis B, & per verticem M. diametrum NM, centrum Z. describatur Ellipsis cujus applicatæ sint rectæ ZI, parallelæ, & quadrata.

Applicatarum ad rectangulum subsegmentis diametri habeant rationem datam, punctum I, erit ad hujusmodi Ellipsim. Etenim quadratum $NM -$ quad NZ, æquatur rectangulo sub diametri segmentis.

Ad hanc reducentur similes in quibus A^2 ex una parte opponetur E^2 sub contraria affectionis nota, & sub coefficientibus diversis. Nam si coefficientes sint eædem, & angulus sit rectus, locus erit ad circulum, ut jam diximus. Licèt igitur coefficientes sint eædem, modò angulus non sit rectus, locus erit ad Ellipsim.

Et licet commisceantur æquationibus homogenea sub datis & A vel E, fiet reductio eo quod jam usurpavimus artificio.

$A^2 + B^2$ ad E^2 ratio hyperbol.

Si $A^2 + B^2$, eſt ad E^2 in data ratione punctum I, eſt ad hyperbolem.



OI, ſit A. ON, ſeu ZI. ſit E.

Fiat NO, parallela ZI, data ratio ſit eadem quæ B^2. ad quad. NR. Dabitur ergo punctum R, circa diametrum RO. per verticem R, centrum N deſcribatur hyperbolæ cujus applicatæ ſint parallelæ NZ, & rectangulum ſub tota diametro & RO, ad quadratum OI. ſit in data ratione NR, quadrati ad B^2. Ergo componendo rectangulum ſub MOR, poſita MN, æquali NR, erit ad quadratum OI, una cum B^2 in ratione data, NR, quadrati ad B^2, ſed rectang. MOR, unà cum NR quad æquatur NO quadrat. ſive ZI, quad. ſive E^2, & quadrat. OI, una cum B^2 æquatur quadrato NZ, ſive A^2 una cum B^2. Ergo eſt ut E^2 ad $B^2 + A^2$ ita NR, quad. ad B^2 & convertendo $B^2. + A^2$ eſt ad E^2, in ratione data. Punctum igitur Z, eſt ad hyperbolem poſitione datam.

Eodem quo jam uſi ſumus artificio ad hanc æquationem, reducentur omnes quæ ab A^2 & E^2 afficiuntur unà cum datis, ſive ſimpliciter, ſive miſceantur ipſis homogenea ſub A vel E, in datas, modò A^2 habeat eamdem ex altera parte affectionis notam, quàm E^2 Nam ſi ſint diverſæ, propoſitio concludetur per circulos vel Ellipſes.

Difficillima omnium æqualitatum eſt quando ita miſcentur A^2 & E^2 ut nihilominus homogenea quædam ab A in E afficiantur una cum datis, &c.

$B^2 - 2A^2$ ∞ $2A$ E $+ {}^2$.

$B^2 - 2A^2$ æquatur $2A$ in $E + E^2$ addatur utrimque A^2, ut $A + E$. ſit latus alterius ex homogeneis, ergo.

$$B^2 - A^2. \text{ æquabitur } A^2 + 2A \text{ in } E.$$



Pro $A + E$, ſumatur E, ſi placet, & ex præcedentibus circulus MI, præſtet pro poſitum, hoc eſt MN, quad. (ſivè B^2) − NZ, quad. (ſive A^2) æquetur quadrato ZI, ſive quad. abs $A + E$, fiat VI, æqualis NZ, ſive A, ergo ZV, æquatur E. in

hac autem quæſtione punctum V, ſive extremum rectæ E, tantùm inquirimus. Videndum ergo & demonſtrandum ad quam lineam ſit punctum V. Fiat MR, parallella ZI, & æqualis MN, & jungatur NR, ad quam producta IZ, incidat ad punctum O. Cùm MN. æquetur MR, ergo NZ æquabitur ZO. Sed NZ, æquatur VI. Ergo toti VO, toti ZI, eſt æqualis: ideoque quad. MN − quad. NZ æquatur quadrato VO. Datur autem triangulum NMR. ſpecie. Ergo quadrati NM, ad quadratum NR, datur ratio; ideoque & quadrati NZ ad quadratum NO, dabitur ratio. Ratio igitur quadrati MN − quadrato NZ, ad quadratum NR − quadrato RO datur. Probavimus autem quadratum OV, æquari quadrato MN − quad. NZ. Ergo ratio quadrati NR − NO. quad. ad quad. OV, datur. Dantur autem puncta N & R, & angulus NOZ. Ergo punctum V, ex ſuperioribus demonſtratis eſt ad Ellipſim.

Non abſimili methodo ad ſuperiores caſus reducentur reliqui, in quibus homogenea ſub A in E, homogeneis partim datis, partim ſub A^2 aut E^2 immiſcebuntur; aut etiam ſub A & E, in datas ductis, cujus rei diſquiſitio facillima. Semper enim beneficio trianguli ſpecie noti conſtruetur quæſtio.

Breviter igitur & dilucidè complexi ſumus quidquid de locis planis & ſolidis inexplicatum veteres reliquere.

Conſtabitque deinceps ad quem locum pertinebunt caſus omnes propoſ. ultimæ lib. 1. Appoll. de locis planis, & omnia omnino ad hanc materiam ſpectantia nullo negotio detegentur.

Sed libet coronidis loco pulcherrimam hanc propoſitionem adjungere, cujus facilitas ſtatim innoteſcet.

Si poſitione datis quotcumque lineis, ab uno & eodem puncto ad ſingulas ducantur rectæ in datis angulis, & ſint ſpecies ab omnibus ductis dato ſpatio æquales, punctum contingit poſitione datum ſolidum locum. Unico exemplo fit via ad praxim.

Datis duobus punctis N, M, inveniendus locus à quo ſi jungas rectas IN, IM, quadrata rectarum IN, IM, ad triangulum INM, datam habeant rationem, recta NM, æquetur B, & recta ZI ad angulos rectos, dicatur E, terminus NZ, dicatur A, ergo ex artis præceptis $2A^2 + B^2 - 2B$, in $A + 2E^2$, ad rectangulum B in E habebit rationem datam.

Et reſolvendo hypoſtaſes ex jam traditis præceptis, ita procedet conſtructio.



N M, bifariam fecetur in Z, à puncto Z, excitetur perpend. Z V, & fiat datæ ratio eadem quæ Z V. quadruplæ ad Z M, defcripto femicirculo V O Z, fuper V Z, applicetur Z O, æqualis ipfi Z M, & junctâ V O, centro V, intervallo VO, defcribatur circulus O I R, in quo fumatur quodlibet punctum, ut R, & jungantur rectæ R N, R M: aio quadrata R N, R M, ad triangulum R N M, effe in data ratione.

Hæc inventio fi libros duos de locis planis à nobis dudum reftitutos præceffiffet, elegantiores fanè evafiffent localium theorematum conftructiones: nec tamen præcocis licèt & immaturi partûs nos adhuc pœnitet, & informes ingenii fœtus pofteris non invidere fcientiæ ipfius quadamtenus intereft, cujus opera primò rudia & fimplicia novis inventis & roborantur & augefcunt. Imò & ftudioforum intereft latentes ingenii progreffus, & artem fefe ipfam promoventem penitus habere perfpectam.

APPENDIX

APPENDIX
AD ISAGOGEM TOPICAM
Continens folutionem problematum folidorum per locos.

RATUIT methodus qua lineæ locales deteguntur, inquirendum reftat qua ratione problematum folidorum folutio poffit ex fupradictis elegantiffimè derivari. Hoc ut fiat, coarctanda illa quantitatum ignotarum extra limites fuos evagandi licentia. Infinita enim funt puncta quibus quæftioni propofitæ fatisfit in locis.

Commodiffimè igitur per duas æqualitates locales quæftio determinatur: fecant quippe fe invicem duæ lineæ locales pofitione datæ, & punctum fectionis pofitione datum, quæftionem ex infinito ad terminos præfcriptos adigit.

Exemplis breviter & dilucidè res explicatur proponatur $A^3 + B$ in A^2 æquari Z^p in B.

Commodè utraque æqualitatis pars poteft æquari folido B in A in E, ut per divifionem iftius folidi, illinc per A, hinc per B, res deducatur ad locos. Cum igitur

$A^3 + B$ in A^2 æquetur B in A in E.

Ergo $A^2 + B$ in A, æquabitur B in E.

Et erit, ut patet ex noftra methodo, extremitas ipfius E, ad parabolem pofitione datam.

Deinde cùm Z^p in B, æquetur B in A, in E, ergo Z^p æquabitur A in E.

Et erit ex noftra methodo extremitas ipfius E, ad hyperbolem pofitione datam: fed jam probavimus effe ad parabolem pofitione datam, Ergo datur pofitione, & eft facilis ab analyfi ad fynthefim regreffus.

Nec diffimilis eft methodus in omnibus æquationibus cubicis. Conftitutis enim ex una parte folidis omnibus ab A affectis, ex alterâ folido omnino dato, vel etiam cum folidis ab A vel A^2 affectis, poterit fingi æqualitas fuperiori fimilis.

Proponatur exempl. in æquationibus quad. quad.

$A^4 + B^5$ in $A + Z^p$ in A^2 æquetur D^{pp} Ergo A^4 æquabitur $D^{pp} - B^s$ in $A - Z^2$ in A^2, æquentur hæc duo homogenea Z^2. in E^2.

Cum igitur A^4. æquetur Z^2 in E^2. Ergo per fubdivifionem quadraticam.

A^2 æquabitur Z in E, & erit extremitas E, ad parabolem pofitione datam.

Deinde cum D^{pp} B^s in $A - Z^2$ in A^2 æquetur Z^2 in E^2 omnibus per Z^2 divifis

$$\frac{D^{pp} - B^s \text{ in } A - A^2}{Z^2} \text{. æquabitur } E^2.$$

Et erit ex noftra methodo extremitas E, ad circulum pofitione datum. Sed eft

& ad parabolem poſitione datam. Ergo datur. Non diſſimili methodo ſolventur quæſtiones omnes quadrato quadraticæ : expurgabuntur enim methodo Vietæ cap. 1. de emend. ab affectione ſub cubo , & quadrato quadrato ignoto ab una parte , reliquis homogeneis ab altera conſtitutis per parabolem, circulum , vel hyperbolem ſolvetur quæſtio.

Proponatur ad exemplum inventio duarum mediarum in continua proportione.

Sint duæ rectæ, B major, D minor, inter quas duæ mediæ proport. ſunt inveniendæ, fiet A^3 æqualis B^2 in D.

Si major mediarum ponatur A. Æquentur ſingula homogenea B in A in E. Illinc fiet A^2 æquale B in D E, iſtinc A in E æquale B in D. Ideoque quæſtio per hyperboles & paraboles ſectionem perficietur.



Exponatur enim recta quævis poſitione data, O V N, in qua detur punctum O, ſint rectæ datæ B & D, inter quas duæ mediæ proportionales inveniendæ. Ponatur recta O V æquari A, & recta V M ipſi O V ad rectos angulos æquari E, ex priori æqualitate quâ A^2 æq. B in E, conſtat per punctum O, tamquam verticem deſcribendam parabolem, cujus rectum latus ſit B, diameter ipſi V M, parallela & A O, applicatæ ipſi O V, tranſibit igitur hæc parabole per punctum M ex 2. æqualitate, qua B in D æquatur A in E, ſumatur punctum ubilibet in rectâ O V, ut N, à quo excitetur perpendicularis N Z, & fiat rectang. O V Z, æquale rectangulo B in D, excitetur etiam perpendicularis O R, circa aſymptotos R O, O V deſcribenda hyperbole per punctum Z, ex noſtra methodo locali dabitur poſitione, & tranſibit per punctum M, ſed parabole etiam quam ſupra deſcripſimus dabitur poſitione & per idem punctum M, tranſit, datur igitur punctum M, poſitione, à quo ſi demittatur perpendicularis M V, dabitur punctum V, & recta O V, major duarum continuè proportion. quas quærimus.

Inventæ igitur ſunt duæ mediæ per interſectionem paraboles & hyperboles.

Si ad quadrat. quad. lubeat quæſtionem extendere omnia ducantur in A, A^4 æquab. B^2. in D in A. æquentur ſingula homogenea juxta ſuperiorem methodum B^2 in E^2.

Fient duæ æqualitates, nempe A^2 & B^2 in E, & D in A & E^2.

Quæ ſingulæ dabunt parabolem poſitione datam, fiet igitur conſtructio meſolabii per interſectionem duarum parabolarum hoc caſu.

Prior conſtructio & poſterior ſunt apud Eutocium in Archimedem, & huic methodo facillimè redduntur obnoxiæ.

Abeant igitur illæ parapleroſes Vietæ, quibus æquationes quadrato quadraticas reducit ad quadraticas per medium cubicarum abs radice planâ, pari enim elegantiâ, facilitate, & brevitate ſolvuntur, ut jam patuit, perinde quadrato quadraticæ ac cubicæ quæſtiones, nec poſſunt, opinor elegantiùs.

Ut pateat elegantia hujus methodi, En conſtructionem omnium problematum cubicorum, & quadrato quadraticorum per parabolem & circulum.

Ponatur $A^4 + Z^s$ in A æquari D^{pp}.

Ergo A^4 æquabitur Z^s in A + D^{pp}, fingatur quadratum abs $A^2 - B^2$ aut alio quovis quadrato, fiet quadratum $A^4 + B^4 + {}^2B^2$ in A^2. Addatur ad ſupplementum ſingulis æqualitatis partibus $B^4 - {}^2B^2$ in A^2 fiet $A^4 + B^4 - {}^2B^2$ in A^2 æquale $B^4 - B^2$ in A^2 æquale $B^4 - B^2$ in $A^2 - Z^s$ in A + D^{pp} ſit ${}^2B^2$ — æquale N^2.

Et ſingulis homogeneis ſive partibus æqualitatis æquetur N^2 in E^2. Fiet illinc per ſubdiviſionem quadraticam $A^2 - B^2$. æquale N in E, ideoque punctum extremum E, erit ad parabolem, ex noſtra methodo, iſtinc fiet $\frac{B^4}{N^2} - \frac{A^2 - Z^s \text{ in } A}{N} + \frac{D^{pp}}{N^2}$ æquale E^2.

Ideoque ex noſtra methodo punctum extremum E, erit ad circulum. Deſcriptione igitur paraboles & circuli ſolvitur quæſtio.

Hæc methodus facillimè ad omnes caſus tam cubicos quàm quadrato quad. extenditur. Curandum enim tantùm ut ex una parte ſit A^4 ex altera quælibet homogenea, modò non afficiantur ab A^3. at per expurgationem Vietæam omnes æquationes quad. quadratæ ab affectione ſub cubo liberantur, ergo eadem in omnibus methodus, cùm autem æquationes cubicæ liberentur ab affectione ſub quadrato per methodum Vietæam, homogeneis omnibus in A, ductis, fiet æquatio quadrato quadrata cujus nullum ex homogeneis afficietur ſub cubo, ideóque ſolvetur per ſuperiorem methodum.

Id ſolùm in ſecunda æqualitate curandum eſt, ut A^2 ex una parte, ex altera E^2. ſub contrariâ affectionis notâ reperiantur, quod eſt ſemper facillimum.

Sit enim in alio caſu, ut omnia percurramus, A^4 æquale Z^{pl} in $A^2 - Z^s$ in D.

Fingatur quodvis quadratum abs A^2 — quovis quadrato dato, ut B^2, fiet $A^4 + B^4 - {}^2A^2$ in B^2. adjiciatur utrique æqualitatis parti ad ſupplementum B^4, $- {}^2B^2$ in B^2 fiet. $A^4 + B^4 - {}^2A^2$ in B^2 æquale $B^4 - {}^2B^2$ in $A^2 + Z^p$ in $A^2 - Z^s$ in D.

Ut igitur commoda fiat diviſio, in 2. A æqualitate ſumenda differentia inter ${}^2B^2$, & Z^p quæ ſit V G. N^2, & utraque æqualitatis pars æquanda N^2 in E^2.

Ut illinc fiat $A^2 - B^2$ æquale N in E. Iſtinc $\frac{B^4}{N^2} - A^2 - \frac{Z \text{ in } D}{N^2}$ æquale E^2.

Advertendum deinde ${}^2B^2$ debere præſtare Z^p alioquin A^2 non afficeretur ſigno defectus, & pro circulo inveniremus hyperbolem, cui promptum remedium. B^2 enim ad libitum ſumimus, ideoque ipſius duplum majus Z^p nullius eſt negotii ſumere. Conſtat autem ex methodo locali circulum creari ſemper ex æqualitate, in cujus parte altera quadratum unum ignotum afficitur ſigno + in alterâ, aliud quadratum ignotum ſigno —.

Si ſumas ad hoc exemplum inventionem duarum mediarum, erit A^3 æqu. B^2 in D. Et A^4 æq B^2 in D in A.

Adjiciatur utrimque $B^4 - {}^2B^2$ in A^2. $A^4 + B^4 - {}^2B^2$ in A^2 æquabitur $B^4 +$ B^2 in D in A $- {}^2A^2$ in B^2 ſit ${}^2B^2$, æquale N^2.

Et ſingulæ æqualitatis partes æquentur N^2 in E^2.

Fiet illinc $A^2 - B^2$ æquale N in E. Ideoque extremum E, erit ad parabolem.

Fiet iſtinc $B^2 \frac{1}{2} + D \frac{1}{2}$ in $A - A^2$ æquale E^2.

Ideoque extremum E erit ad circulum. Qui hæc adverterit, fruſtra quæſtionem meſolabii, triſectionis angularis, & ſimiles tentabit deducere ex planis, hoc eſt per rectas & circulos expedire.

APOLLONII PERGÆI
LIBRI DUO
DE LOCIS PLANIS
RESTITUTI.

LOCI plani quid ſint notum eſt ſatis ſuperque: hac de re ſcripſiſſe libros duos Appollonium teſtatur Pappus, eorumque propoſitiones ſingulas initio libri ſeptimi tradit, verbis tamen aut obſcuris, aut ſanè interpreti minùs perſpectis. (Græcum enim codicem videre non licuit) hanc ſcientiam totius, ut videtur, Geometriæ pulcherrimam ab oblivione vindicamus, & Appollonium de locis planis differentem, Appolloniis Gallis, Batavis, & Illyricis audacter opponimus; certam gerentes fiduciam, non aubi præclariùs, quàm hoc in opere Geometriæ miracula elucere: quod ut ſtatim fatearis, hîc exordior.

Propoſitiones libri primi hæ ſunt.

PROPOSITIO I.

SI duæ lineæ agantur, vel ab uno dato puncto, vel à duobus, & vel in rectam lineam, vel parallelæ, vel datum continentes angulum, vel inter ſe datam proportionem habentes, vel datum comprehendentes ſpatium: contingat autem terminus unius locum planum poſitione datum; & alterius terminus locum planum poſitione datum continget, interdùm quidem ejuſdem generis, interdùm verò diverſum, & interdùm ſimiliter poſitum ad rectam lineam, interdùm contrario modo.

Hæc propoſitio in propoſitiones octo dividi commodè poteſt, & quævis ex iis in multiplices caſus: obſcuritatem interpreti præbuiſſe videtur interpunctionum defectus; imo & Pappus ipſe hoc loco propter nimiam brevitatem videtur non vacaviſſe obſcuritate. Singula dum ſecamus in octantes, ita revelamus.

PROPOSITIO I.

SI à dato puncto in rectam lineam duæ lineæ agantur datam habentes proportionem; & terminus unius contingat locum poſitione datum, hoc eſt, aut rectam, aut circumferentiam circuli poſitione datam; alterius terminus continget rectam, aut circuli circumferentiam poſitione datam.

Eſto datum punctum. A. per quod agantur in directum rectæ. A B, A F, in proportione datâ, & ſit verbi gratia punctum B, in rectâ linea H C B D, poſitione



datâ; aio punctum F, eſſe quoque ad rectam poſitione datam. à puncto A, demiſsâ in rectam H D, perpendiculari A C, dabitur punctum C, producatur C A, ad E, & fiat ratio C A, ad A E, æqualis datæ, dabitur igitur recta A E, & punctum E. per punctum E, parallela rectæ H D, ducatur G E F, dabitur poſitione, & in ea erit punctum F, quia omnes rectæ per datum punctum parallelas ſecantes in eamdem rationem dividuntur; patet ergò quamcunque rectam per punctum A, tranſeuntem, & datis poſitione parallelis terminatam in datam ſecari proportionem.

Eſto deinde datum punctum B, & circulus poſitione I C N, cujus centrum A, jungatur B A, in puncto I, circumferentiam ſecans, & producatur

I B, ad B E, ut ſit ratio I B, ad B E, æqualis datæ, continuetur in F, & fiat A I, ad E F, ut I B, ad B E, & centro F intervallo F E, deſcribatur circumferentia circuli E D Z, quam patet ex conſtructione poſitione dari, aio rectas omnes per punctum datum B tranſeuntes, & utrimque circumferentiis datorum poſitione circulorum terminatas in datam ſecari rationem.

Ducta enim verbi gratia C B D iungantur C A, D F, eſt ut I B, ad B E, ita A I, ad E F, ergò ut tota B A, ad B F, ita A I, ſive A C, ad E F, ſive F D, & ſunt æquales anguli A B C, F B D, ad verticem; patet itaque triangula eſſe ſimilia atque ideò, ut C B, ad B D, ita B A, ad B F, hoc eſt in ratione data, cum igitur à dato puncto B ducantur in directum duæ rectæ B C, B D, verbi gratia in data ratione quarum B C, tangit circumferentiam poſitione datam tanget quoque B D, aliam circumferentiam poſitione datam.

Si producantur rectæ donec ad concavas circulorum circumferentias pertingant, idem eveniet.

Monemus porrò nos minima quæque in demonſtrationibus non docere, cum ſtatim pateant, imò & caſus diverſos non perſequi cum ex adductis minimo poſſint negotio derivari.

II. PROPOSITIO.

SI à dato puncto ducantur in directum duæ rectæ, datum continentes spatium contingat autem terminus unius locum planum positione, tanget pariter & terminus alterius.

Esto datum punctum A, data primum recta B C, positione in quam demittatur perpendicularis, A C, dabitur ergo & punctum C, producatur & fiat spatio dato æquale rectangulum C A E, super diametro A E, descripto circulo A D E, aio rectas omnes per punctum A ductas, & illinc rectâ, hinc circumferentiâ circuli (quem patet dari positione) terminatas ita ad punctum A, secari ut rectang.



sub partibus æquetur spatio dato, nam sit verbi gratia recta D A B, juncta D E, cum sit angulus A D E, in semicirculo rectus, & Anguli B A C, D A E, ad verticem æquales, erunt triangula D A E, A C B, similia, atque ideò rectangulum B A D, rectangulo C A E, dato æquale; cum igitur per punctum A, ducantur duæ rectæ A B, A D, in directum & terminus unius nempe A B, tangat rectam B C, positione datam, tanget & terminus alterius locum planum, hoc est circulum A D E, positione datum.

Sed detur punctum V, & circulus B I G H, positione cujus centrum E jungatur E V, & producatur in B, dabitur V B, producatur in F, ut sit rectangulum B V F,



æquale dato cui etiam æquetur rectangulum G V X, super diametro X, F, circulus describatur X K F, quem quidem dari positione patet, Aio rectas per punctum V, transeuntes & duobus circulis, terminatas ita secari in V, ut rectangulum sub segmentis dato æquale efficiant. Ducatur enim verbi gratia A V, K I, Aio rectangulum A V K, æquari dato, sumatur centrum circuli minoris O, recta autem A V K I, secet eundem circulum in R, jungantur rectæ R O, A E, posuimus rectangulum G V X, æquari B V F, erit ergò G V, ad V B, ut F V, ad V X, & componendo, & sumendo antecedentium dimidia, & per conversionem rationis, ut E B, sive E A, ad E V, ita O X, sive O R, ad O V, & habent duo triangula O V R, V E A, commvnem angulum E V A, erunt ergò similia & ut A V, ad R V, ita A E, ad R O, sive E B, ad O X, V E, ad V O, cum ergò ut E B, ad O X, ita V E, ad V O, ergò ut E B, ad O X, ita reliqua V B, ad reliquam V X, atque ideò ut A V, ad R V, ita B V, ad X V, similiter probabimus ut G V, ad V F, ita I V, ad K V, erit igitur vicissim ut G V, ad V I, ita F V, ad V K, ut autem F V, ad V K, ita V I, ad V X, (quia rectangula K V R, F V X, in circulo sunt æqualia) & ut V R, ad V X, ita probavimus esse V A, ad V B, erit igitur ut F V, ad V K, ex una parte, ita V A, ad V B, rectangulum igitur K V A, rectangulo F V B, dato æquale, ex alia verò parte erit ut G V, ad I V, ita V R, ad V X, atque ideo rectangulum I V R, rectangulo G V X, dato æquale; cum igitur per punctum V, ducantur duæ lineæ in directum A V, & V K, comprehendentes spatium datum, & terminus unius nempe V A, contingat circulum positione datum, tanget & terminus alterius locum planum hoc est circulum X K F, positione datum.

III. PROPOSITIO

SI à dato ducantur duæ lineæ datum continentes angulum, & datam proportionem habentes, contingat autem terminus unius locum planum positione, continget & terminus alterius.

Esto primò datum punctum H, & recta linea A F, positione, in quam demissa perpendicularis H B, dabitur. Fiat angulo dato æqualis angulus B H E, & sit B H, ad



H E, in ratione data dabitur recta H E, positione & punctum E. à puncto E, ad rectam H E, excitata perpendicularis infinita D E G, dabitur positione, sumatur quodlibet punctum in recta A F, ut C, & juncta H C, fiat angulo dato æqualis C H I, aio rectam H C, ad H I, esse in ratione data, nam cum sint æquales anguli B H E, C H I, dempto communi C H E, erunt æqua les B H C, E H I, & sunt anguli ad B, & E, recti, sunt igitur similia triangula H B C, H E I, & ut H B, ad H C, ita H E, ad H I, & vicissim ut H B, ad H E, ita H C, ad H I, habet rationem datam. Cum igitur à dato puncto H, ductæ fuerint duæ lineæ H C, H I, in dato angulo C H I, & in data ratione, & altera nempe H C, ad punctum C, contingat rectam poſitione continget & terminus alterius locum planum, nempe rectam D G, quam dari poſitione probatum eſt.

Sed tangatur circulus, eſto punctum A, datus circulus poſitione I E, cujus centrum F, jungatur F A, ſecans circulum in I, & fiat angulus æqualis dato, & ratio I A,



A D, data, dabitur A D, poſitione & punctum D, producatur, & fiat ut I A, ad A D: ita I F: ad D C, centro C, deſcripto circulo D B, quem patet dari poſitione ſumatur quodvis punctum in priore circulo ut, E, & iuncta E A, fiat angulo dato æqualis E A B, & ſit punctum B in ſecundo circulo, aio eſſe A E ad B A in ratione datâ jungantur F E, B C, probabimus ut ſupra æquales angulos F A E, C A B, & ſimilitudinem triangulorum F A E, C A B, iiſdem rationibus quibus jam in priore propoſitione, ejuſque 2. figura uſi ſumus, arguemus, eritque A F, ad E A, ut A C, ad A B, & viciſſim ut A F, ad A C, hoc eſt ut A I, ad A D, ita A E, ad A B, dabitur ergo ratio A E ad A B, & patet tum ſenſus, tam conſequentia propoſitionis.

IV. PROPOSITIO.

SI à dato puncto ducantur duæ lineæ datum continentes angulum & datum comprehendentes ſpatium contingat autem terminus unius locum planum poſitione datum, continget, & terminus alterius.

Sit datum punctum G, recta poſitione data A C, in quam ducatur perpendicularis G B, eſto angulus datus B G E, & ſpatium datum ſub B G, in G E, ſuper G E,



deſcribatur

deſcribatur ſemicirculus G E F, & ſumpto in recta poſitione data quovis puncto ut D, junctaque D, G, fiat angulo dato æqualis D G F, aio rectangulum ſub D G, in G F, æquari dato, jungatur F E, probabimus ut in propoſitione præcedente æqualitatem angulorum B G D, E G F, ſed recti ad B, & F, ſunt æquales, non latebit igitur triangulorum B G D, E G F, ſimilitudo neque rectangulorum B G, in G D, & G D, in G F, æqualitas, neque veritas poſitionis, ſi igitur, &c.

Sed ſit datum punctum A, & circulus poſitione H G E, ducatur per ipſius centrum A E H.



Secans circumferentiam in punctis E H, ſit angulus datus H A B, & ſpatium datum rectangulum ſub H A, in A I, vel E A, ſub A B, ſuper recta I B deſcripto ſemicirculo (quem quidem patet dari poſitione) ſatisfiet quæſtioni, nam ducta G F A verbi gratia & facto angulo G A D C, dato æquali; aio rectangulum G A D, vel F A C, æquari dato, nam cum rectangula H A I, E A B, æquentur, erit ut H A, ad A E, ita A B, ad A I, Ex propoſitionis verò ſuperioris ratiocinio patet æqualitas angulorum H A G, B A C, & ex prima propoſitione facilè deducetur eſſe ut H A, ad G A, ita B A, ad A C, ſed ut H A, ad G A, ita F A, ad A E, ergò ut F A, ad A E, ita B A, ad A C, rectangulumque F A C, rectangulo B A E, dato eſt æquale. Deinde eſt ut B A, ad A C, ita A D, ad A I, rectangulumque G A D,, rectangulo H A I, dato æquale. conſtat itaque ex omni parte propoſitum, ſi igitur, &c.

Hoc in caſu ſumpſimus punctum A extra circulum poſitione datum, in 2. verò caſu 2. propoſitionis intra circulum perſeveramus.

Quatuor propoſitiones præcedentes punctum unum datum aſſumunt, ſequentes duo.

PROPOSITIO V.

SI à duobus punctis datis duæ lineæ parallelæ agantur rationem habentes datam, contingat autem terminus unius locum planum poſitione datum, continget & terminus alterius.

Sunto duo puncta A & H recta poſitione C B D K, in quam demittatur perpendicularis A B, cui parallela ducatur H E, & ſit ratio A B, ad H E, data, dabitur



c.

punctum E, per quod ductâ E F G , perpendiculari ad H E, & rectæ positione datæ parallela; aio omnes parallelas à punctis A H, ductas , & rectis C D, F G, positione datis terminatas , esse in proportione data A B , ad H E ; erunt enim anguli B A D, EHG , æquales , & recti ad B, & E , similes ergo trianguli B A D , E H G , & reliqua facilia. Cum igitur à datis duobus punctis A , & H , ductæ fuerint parallelæ A D, H G , in ratione data , quarum A D , est ad datam rectam positione erit & H G , ad rectam positione datam , ideoque ad locum planum.

In hac figura sint data puncta A , & Z , & circulus positione B C , cujus centrum E , jungatur A E , occurrente circulo in B , & huic parallela ducatur Z N , fiatque ratio



A B, ad Z N , æqualis datæ producatur Z N , in I , & fiat ratio B E , ad N I , æqualis etiam datæ , centro I , intervallo I N, descriptus circulus dabitur positione , & quæstioni satisfaciet , nam ductis parallelis A C, Z D, circulis ad puncta C, D , occurrentibus erit ratio A C, ad Z D , æqualis datæ, esse enim angulos B A C , N Z D, æquales, jam primùs hujus propositionis casus evicit , reliquum præstabit secundum propositionis epitagma.

PROPOSITIO VI.

SI à duobus punctis datis duæ parallelæ agantur datum comprehendentes spatium contingat autem terminus unius locum planum positione datum continget & terminus alterius.

Sint data duo puncta A , & H , recta positione C E, in quam perpendicularis A B



cui parallela ducatur H G, & rectangulo dato sit æquale rectangulum sub A B,HG, dabitur recta H G , super qua descriptus semicirculus H F G, quæstionem perficiet , ductis enim ubicumque parallelis A D, H F, & juncta G F, patebit demonstrationes superiores retractanti triangulorum B A D , G H F, similitudo, ideoque rectangulum sub A D , in H F , æquale dato sub B A , in H G, concludetur ; cum igitur à duobus punctis, &c.

In 2. casu sint data puncta A & B, & circulus positione I F G H , per cujus centrum transeat A I H , cui parallela ducatur B C , & sit rectangulum sub A I , B C , æquale



dato , eidemque æquale rectangulum sub A H , in B O, super recta O C , descriptus semicirculus præstat propositum , nam ductis parallelis A F G , B E D , eruntanguli H A G, C B D , æquales & rectangulum sub A G , in B E, æquale dato eidemque rectangulum sub A F , in B D, nec , absimilis est ei, quæ in 2. epitagmate propositionis quartæ prodita est demonstratio.

VII. PROPOSITIO.

SI duæ lineæ agantur à datis duobus punctis datum continentes Angulum & datam habentes proportionem contingat autem terminus unius locum planum positione datum continget , & terminus alterius.

Sunto duo puncta A , & B , recta positione I G H , super B A , describatur portio circuli A L B , capiens angulum æqualem dato à puncto A , ducatur in rectam I H, perpendicularis A G, quâ productâ donec circumferentiæ occurrat in L , producatur L B E , & fiat A G , ad B E, in ratione data perpendicularis ad B E, agatur F E , D C, & sumatur quodlibet punctum in portionis circumferentia ut K , à quo ducantur per puncta A & B, rectæ K A H , K B D, occurrentes rectis I H, F C, in punctis H & D,



aio A H, ad B D, eſſe in ratione data A G, ad B E, cum enim hoc ita ſe habeat erunt triangula A G H, B E D, ſimilia, ideoque anguli G A H, E B D, eiſque ad verticem K A L, K B L, æquales, quod quidem ita ſe habet cum eidem circuli portioni inſiſtant, & proclivis eſt ab analyſi ad ſyntheſim regreſſus. Cum igitur à datis duobus punctis A, & B, ductæ fuerint duæ rectæ A H, B D, datum continentes angulum H K D, & terminus ipſius A H, contingat rectam I H, poſitione datam, continget & terminus B D, rectam F C, quam dari poſitione evicit conſtructio.

Sed ſint data puncta A B, circulus poſitione H F, ſuper recta A B, deſcribatur portio



circuli A K B, capiens angulum dato æqualem, centrum circuli H F, eſto G, jungatur A H G, producatur donec portioni occurrat in K, & ducatur K, B, E, & ſit ratio A H, ad B E, data procucatur B E, in D, donec H G ad D E, ſit pariter in ratione data, centro D, deſcriptus circulus dabitur poſitione, & dabit ſolutionem quæſtionis: ductis quippe I A F, I B C, erunt anguli ad A, & B, æquales, & reliquum propoſiti non eſt laborioſum; ſtatimque patet A F, ad B C, eſſe in ratione datâ, imò & ad circumferentias concavas productas idem præſtare: cum igitur, &c.

VIII. PROPOSITIO.

SI à duobus punctis datis ducantur duæ lineæ, datum continentes angulum, & datum comprehendentes ſpatium, contingat autem terminus unius locum planum poſitione datum, continget & terminus alterius.

Sint data duo puncta A, & B, recta poſitione G I, ſuper A B, deſcribatur portio circuli capiens angulum datum, ductæ perpendicularis A H, in G I, continuetur in F,



& juncta F B, producatur in C, ſitque ſpatium datum A H, in B C, ſuper recta B C, deſcriptus circulus faciet quod proponitur, erit quippe ſumpto quovis puncto in portione, E, & junctis E A I, E B D, rectangulum ſub A I, B D, æquale dato nec differt ab expoſitis aliis caſibus demonſtratis.

Sed ſint data duo puncta A & B, datus poſitione circulus I K L, & ſuper A B, deſcripta portio circuli capiens angulum dato æqualem: ducatur per centrum recta A N I, & producatur in G, junctaque G B, producatur & fiat rectangulum ſub A I, in B C, æquale dato eidemque æquale rectangulum ſub A N, in B D, ſuper C D, deſcriptus ſemicirculus ſatisfaciet propoſito.



Hoc eſt ſumpto quolibet puncto in H, & reliquis ut ſupra conſtructis, ut in figura, erit rectangulum ſub A K, in B F, æquale dato, eidemque rectangulum ſub A L, in B E, nec eſt diverſa demonſtratio à precedentibus conſtat itaque propoſitum.

Eaque ratione prior Appollonii ſeu Pappi propoſitio redditur manifeſta.

Obſervandum autem caſus quos in ſemicirculis tantùm expreſſimus in circulis integris locum habere; ſed & caſus multiplices ex variâ datorum poſitione oriri, quos otioſiores ex præcedentibus facili operâ & proclivi ratiocinio deducent.

Subjicit Pappus locum planum quem 2^{us}. ex rectis contingit interdum eſſe ejuſdem generis; interdum verò diverſum. Hoc patet quia in 1. propoſitione verbi gratiâ eſt ejuſdem generis, nam ſi prior ſit ad rectam eſt quoque ad rectam poſterior, ſi ad circulum ſimiliter ad circulum, in ſecundæ verò priore parte, & aliis quibuſdam caſibus eſt diverſi generis.

Addit deinde aliquando ſimiliter poni ad rectam lineam, interdum contrario modo: quo loco verba (ad rectam lineam) quæ nullum ſenſum admittunt, cenſeo delenda, & ita locum interpretor, ut aliquando ſecundus locus priori contrario modo ponatur, verbi gratiâ, ſi prior ſit ad convexum circuli, ſecundus ad concavum, &c. cujus rei exempla priores propoſitiones ſuppeditabunt.

PROPOSITIO II.

SI rectæ lineæ poſitione datæ unus terminus datus ſit, & alter circumferentiam concavam poſitione datam continget.

Hæc verba ſi ita legantur falſa eſt propoſitio, reponendum igitur loco, verbi gratiâ (poſitione datæ) magnitudine datæ; eritque ſenſus: ut datâ circuli diametro & centro, extremitas diametri ſit ad circulum poſitione datum cujus rei veritas cum per ſe pateat cur diutius hîc immoremur.

PROPOSITIO. III.

SI à duobus punctis datis inflectantur rectæ lineæ datum angulum continentes, commune ipſorum punctum continget circumferentiam concavam poſitione datam.

Hæc propoſitio per ſe patet, dari enim ſuper rectâ lineâ duo puncta jungente portionem circuli capientem angulum datum docuit Euclides in elementis.

PROPOSITIO IV.

SI trianguli ſpatii magnitudine dati, poſitione & magnitudine baſis data ſit, vertex ipſius rectam lineam poſitione datam continget, parallelam nempe baſi datæ, cujus inventione ex 1. elem. facilè deduces omnia.

PROPOSITIO V.

SI rectæ lineæ magnitudine datæ, & cuipiam poſitioni datæ æquidiſtantis unus terminus contingat rectam lineam poſitione datam, & alius terminus rectam lineam poſitione datam continget.

Datæ rectæ lineæ DE, magnitudine, & rectæ AC, poſitione datæ æquidiſtantis



unus terminus ut D, contingat rectam AF, poſitione datam ſi per punctum E, duxeris BEG, ipſi AF, parallelam conſtabit propoſitum. Erunt quippe rectæ omnes inter has duas parallelas interceptæ & rectæ AC, poſitione datæ æquidiſtantes, inter ſe æquales: quod ipſa conſtructio manifeſtat. Si igitur alter terminus cujuſlibet ſit ad rectam AF, erit alius ad BG, ut vult propoſitio, quam etiam licet porrigere levi negotio ad circulos.

Sit enim data AB, poſitione cui æquidiſtet recta NO, magnitudine data, cujus punctum N, ſit ad circumferentiam circuli CNM, poſitione dati; Aio punctum O, eſſe ad circulum poſitione datum. Eſto E, centrum circuli CNM, & ducta diameter ipſi NO, parallela continuetur in F, donec recta CF, æquetur NO, datæ, dabitur recta CF, poſitione, & magnitudine, producatur, & fiat FH, æqualis CD, ſu-

per FH, deſcriptus circulus præſtabit propoſitum, erit quippe punctum O, ad ipſius circumferentiam cum enim punctum O, ſit ad circumferentiam circuli FOP, erunt



rectæ CN, FO, æquales & parallelæ, cum æquales & parallelas CF, NO, conjungant; erunt igitur anguli NCD, OFH, æquales; quod quidem ita ſe habet cum rectæ CD, FH, ſint æquales, & à rectis NM, OP, æqualiter diſtent. poterit igitur propoſitio Pappi univerſaliùs ita concipi.

Si rectæ lineæ magnitudine datæ, & cuipiam poſitione datæ æquidiſtantis, unus terminus contingat locum planum poſitione datum, & alius terminus locum planum poſitione datum continget.

PROPOSITIO VI.

SI à Puncto ad poſitione datas duas rectas lineas parallelas vel inter ſe convenientes ducantur rectæ lineæ in dato angulo vel datam habentes proportionem vel quarum una ſimul cum ea ad quam altera proportionem habet datam, data fuerit continget punctum rectam lineam poſitione datam.

Hujus propoſitionis duæ ſunt partes, quarum prior hæc eſt. Sint duæ rectæ poſitione datæ AE, AF, in puncto A, concurrentes, & à puncto C, demittantur rectæ CB



CD, in datis angulis CBA, CDA, & ſint rectæ BC, CD, in data proportione Aio punctum C, eſſe ad rectam lineam poſitione datam. Jungantur AC, BD, in quadrangulo ABCD, dantur tres anguli ABC, ADC, BAD, datur igitur angulus BCD, datur etiam ratio BC, ad CD, ex hypotheſi ergo datur ſpecie triangulum BDC, & anguli CBD, CDB, reliqui igitur ABD, ADB, dantur, ideoque ſpe cie triangulum A B D, datur, igitur ratio A B, ad B D, ſed ex demonſtratis datur ratio B D, ad B C, (cum probatum ſit triangulum B D C, ſpecie dari) ergo datur ratio A B, ad B C, datur autem B A, poſitione & punctum A, datur igitur poſitione recta A C, & in ea ſumpto quovis puncto & ab eo dimiſſis in datis angulis rectis in rectas datas, probabitur ſemper demiſſas eſſe in data proportione.

Alter caſus eſt ſi rectæ datæ ſint parallelæ.

Sint rectæ C A, C B, in datis angulis C A D, C B F, in proportione datâ, angulus C N B, datur, eſt enim æqualis propter parallelas dato C A D, datur igitur ſpecie



triangulum C N B, & ratio C N, ad C B, datur autem ex hypotheſi ratio C B, ad C A, ergo ratio C N, ad C A, data eſt; ideoque probatur facile punctum C, eſſe in recta datâ poſitione. Constructio, per punctum quodvis ut B, trajiciatur perpendicularis I B M, dabitur I B, fiat ut A N, ad N C, ita I B, ad B M, per punctum M, ducta duabus datis parallela, ſatisfaciet quæſtioni, nec eſt operoſa demonſtratio; ſi igitur à puncto quodam ad poſitione datas duas rectas lineas parallelas vel inter ſe convenientes ducantur rectæ lineæ, datis angulis habentes datam proportionem continget punctum rectam lineam poſitione datam.

Secunda pars ita ſe habet.

Dentur rectæ A C, A G, in puncto A concurrentes, ponatur A N, ſuper rectam A C, in dato angulo C A N, fiat A N, æqualis datæ & ipſi A C, parallela ducatur N G,



angulus alius datus ſit R O G, per primam partem hujus ducatur recta G E, in qua ſumpto quovis puncto ut E, rectæ E D, E F, ipſis R O, A N, parallelæ, ſint in ratione datâ, dabitur G E, poſitione ex ſuperius demonſtratis. Producatur F E, in B, dabitur F B, magnitudine eſt enim æqualis datæ A N, propter parallelas. Quodcumque igitur punctum ſumpſeris in recta G E, ut E, à quo in rectas A C, A G, demiſeris rectas E D, E B, in angulis datis recta B E, unà cum E F, ad quam E D, habet rationem

tionem datam data erit, quod vult propoſitio. Si igitur à puncto quodam ad poſitione duas rectas lineas inter ſe convenientes ducantur rectæ lineæ in datis angulis quarum una ſimul cum ea ad quam altera habet proportionem datam, data fuerit continget punctum rectam lineam poſitione datam.

PROPOSITIO VII.

SI ſint quotcumque rectæ lineæ poſitione datæ atque ad ipſas à quodam puncto ducantur rectæ lineæ in datis angulis, ſit autem quod datâ lineâ & ducta continetur, una cum contento datâ lineâ, & alterâ ductâ æquale ei, quod datâ, & aliâ ductâ & reliquâ continetur punctum rectam lineam poſitione datam, continget.

Hæc propoſitio eſt ampliatio præcedentis, & quod de duabus lineis eſt ſuperiùs demonſtratum in prima parte propoſitionis ſextæ, hîc in quotcumque locum habere proponitur.

Exponantur tres rectæ poſitione datæ & triangulum conſtituentes A B, BC, C A, eſt invenienda recta E K, verbi gratia in qua ſumendo quodlibet punctum vt M, & ab eo



ducendo rectas M R, M O, M I, in angulis datis. M R A, M O B, M I A, ſumma duarum O M, & M I, ſit ad M R, in ratione data, per primam partem propoſitionis præcedentis inveniatur recta in qua ſumendo quodlibet punctum & ab eo ducendo rectas ad rectas A B, B C, ductæ ſint in ratione datâ, dabitur poſitione recta quæſita, punctum igitur in quo concurret cum A C, dabitur, eſto E, à quo ducantur E V, E D, ipſis M O, M R, parallelæ, ergo ex conſtructione V E, ad E D, habebit rationem datam, eâdem methodo ſumptis A C, A B, rectis inveniatur punctum K, à quo ductæ K L, K Z, in datis angulis ipſis nempe M R, M I, parallelæ, ſint in ratione data Erit igitur ſimiliter K Z, ad K L, in ratione datâ, iungatur E K, quodcumque punctum in ea ſumpſeris præſtabit propoſitum. Sumatur M, verbi gratia ex jam conſtructis fiat M F, parallela B A, & M H, parallela B C, probandum eſt ſummam duarum O M, M I, eſſe ad M R ut V E, ad E D, in ratione nempe data, fiat adhuc K G, parallela B A, ponatur verum eſſe quod intendimus probare, ergo viciſſim erit ut M R, ad E D, ita ſumma duarum M I, M O, ad E V, & dividendo erit ut differentia M R, & D E, ad D E, ita differentia qua duæ O M, M I, ſuperant E V, ad E V, cum autem M F, ſit parallela B A, E F, erit differentia rectarum M R, & D E, & cum M H, ſit parallela B C, E H, erit differentia rectarum, M O, V E, ideoque differentia rectarum I M, & E H, æquabitur exceſſui quo duæ M O, M I, ſuperant rectam V E. Ex demonſtratis igitur erit E F, ad D E, ut differentia rectarum I M, E H, ad E V, & viciſſim E F, erit ad differentiam rectarum I M, E H, ut E D, ad E V, erit igitur convertendo differentia rectarum I M, E H, ad E F, in ratione data E V, ad E D, ex conſtructione autem (expoſitis tribus E H, E F, M I, eſt V E, ad E H, ut K E, ad E M, eſt etiam K Z, ad M I, in eadem ratione K E, ad E M, eſt etiam (cum K G, ſit parallela B A,) G E, ad E F in eadem ratione K E, ad E M, igitur tres rectæ

V E, K Z, E G, sunt in ratione trium H E, M I, E F, est igitùr ut differentia duarum E V, K Z, ad E G, ità differentia duarum M I, E H, ad E F, sed probavimus



differentiam duarum M I, E H, ad E F, habere rationem datam E V, ad E D, igitur differentia duarum E V, K Z, ad E G habebit rationem datam E V, ad E D, & vicissim differentia duarum E V, K Z, ad E V erit ut E G, ad E D, & componendo K Z, erit ad E V, ut G D, ad E D, sed propter perallelas K G, B A, K L, æquatur D G, igitur vicissim erit ut K Z, ad K L, ita E V, ad E D, quod quidem ita se habere jam ex ipsa constructione innotuerat.

Constat itaquè veritas pulcherrimæ propositionis, nec est difficilis aut absimilis ad ulteriores casus, & quotlibet lineas porrigendas constructio, & demonstratio, semper enim beneficio constructionis in duabus lineis expedietur problema in tribus lineis: beneficio constructionis in tribus lineis expedietur problema in quatuor lineis: beneficio constructionis in quatuor expedietur problema in quinque, & simili omninò ac uniformi in infinitum methodo.

PROPOSITIO VIII. & Ultima.

SI ab aliquo puncto ad positione datas parallelas ducantur rectæ lineæ in datis angulis quæ ad puncta in ipsis data abscindant rectas lineas vel proportionem habentes vel spatium continentes datum, vel ita ut species ab ipsis ductis, vel excessus specierum sit æqualis spatio dato punctum continget positione datas rectas lineas.

Hujus propositionis (si vera esset) quatuor essent partes, sed eam in ratione datâ, veram duntaxat deprehendimus; valeant igitur reliqua de spatio contento sub duabus, & de summa, aut differentiâ quadratorum ab ipsis, & tanquam commentitia, aut huc aliundè translata rejiciantur.

Proponatur itaque sic emendatum Theorema.

Si ab aliquo puncto ad positione datas parallelas ducantur rectæ lineæ in datis angulis, quæ ad puncta in ipsis data abscindant rectas lineas proportionem habentes datam, punctum continget positione datam rectam lineam.

Constructio sic procedet.

Sint datæ parallelæ A B, G C, puncta in ipsis data A, & F, angulus unus ex datis B A H, alter G F H, cùm puncta A, & F, dentur, & anguli ad ipsa dabuntur, rectæ A H, F H, positione; ideóque punctum concursus H, dabitur etiam punctum G, in quo A H, secat parallelam G C, recta G F, in puncto D, ita secetur ut G D, ad D F, sit in ratione datâ, dabitur punctum D, jungatur D H, dabitur igitur positione D H. Aio rectam D H, præstare propositum; Hoc est sumpto in eâ quolibet puncto ut I,

& ab eo ductis I B, I E, in angulis datis abscissam A B, ad datum punctum A, ad abscissam E F, ad datum punctum F, esse in ratione data G D, ad D F, secet B I, parallelam G F, in C, erit ex constructione I B, parallela H A, cùm fuerit demissa in angulo dato; hoc est ipsi H A B, æquali; erit etiam I E, parallela H F, G C, igitur propter parallelas æquatur A B, probandum superest, ut G C, ad E F, ita G D, ad D F, & vicissim ut G C, ad G D, ita E F, ad D F, hoc autem perspicuum est, ut enim H I, ad H D, ita G C, ad G D, & ut eadem H I, ad H D, ita E F, ad F D, esse igitur G C, ad E F, in ratione datâ sit perspicuum.



Sunt plures casus tam istius quàm præcedentium propositionum, quos invenire & addere cùm sit facile, cur in his diutiùs immoremur?

APOLLONII PERGÆI PROPOSITIONES DE LOCIS PLANIS RESTITUTÆ.

LIBER II.

PROPOSITIO I.

SI à datis punctis rectæ lineæ inflectantur, & ſint quæ ab ipſis fiunt dato ſpatio differentia punctum poſitione datas rectas lineas continget.

Sint data duo puncta A, & B; & ſit datum quodlibet ſpatium quadrato A B, minus: dividatur A B, in C, ita ut quadratum A C, quadratum C B, ſuperet dato ſpatio; & educatur perpendicularis infinita C E, in qua ſumatur quodlibet punctum D, & jungantur D A, B D, Aio quadratum A D, ſuperare quadratum D B, dato. Quod quidèm patet, cùm quadratum A D, eodem ſuperet quadratum D B, quo quadratum A C, ſuperat quadratum C B.



Si ſpatium datum ſit majus quadrato A B, punctum C, extra lineam A B, cadet. Ad hanc propoſitionem pertinere poſſunt duæ ſequentes.

Sint data quatuor puncta A B C D, in rectâ lineâ, & ſit A B, æqualis C D, ſumatur aliud quodcumque punctum ut N, & jungantur quatuor rectæ N A, N B, N C, N D, Aio duo quadrata A N, N D, ſuperare duo quadrata B N, N C, rectangulo ſub A B, in B D, bis.

Nam ducatur perpendicularis N I, & primum punctum I, extra rectam lineam A D, cadat: patet igitur exceſſum quadratorum A N, N D, ſuper duo quadrata B N, N C, propter omnibus commune quadratum N I, eſſe id, quo duo quadrata A I, I D, ſuperant duo quadrata B I, C I, ſed quadrata duo A I, D I, per quartam ſecundi æquantur quadrato D I, bis, quadrato A D, & rectangulo A D I, bis; quadrata verò B I, C I, per eamdem propoſitionem æquantur quadrato D I, bis quadratis B D,



C D, & rectangulis ſub B D, in D I, bis, & C D, in D I, bis, ſive loco horum duorum rectangulorum uni rectangulo A D, in D I, bis, propterea quod A B, eſt æqualis C D, exceſſus igitur quadratorum A I, I D, ſuper B I, C I, eſt idem qui A D, quadrat. ſuper quadrata B D, C D, ſive A B. Sed per quartam propoſitionem 2ª. quadratum A D, duo quadrata A B, B D, ſuperat rectangulo ſub A B, in B D, bis; conſtat ergo propoſitum.

Reliquos caſus non adjungo neque in hac propoſitione neque in ſequentibus, nam licèt ſit facile, eſſet tædioſum.

Si à tribus punctis in rectâ lineâ conſtitutis inflectantur rectæ, & ſint duo quadrata tertio majora, ſpatio dato, punctum poſitione datum circumferentiam continget.

Sint data tria puncta A B C, in rectâ lineâ, & datum quodlibet ſpatium rectangu-



lo A B C, bis majus; fiat A I, æqualis B C, & ſpatium datum ſit æquale rectangulo A B C, bis, & quadrato I V, centro I, intervallo I V, circulus V N O, deſcribatur in cujus circumferentia punctum quodlibet ſumatur ut N, junganturque N A, N B, N C, ad data puncta, aio duo quadrata A N, N C, quadratum N B, dato ſpatio ſuperare; nam jungatur I N, ergò ex ſuperiore propoſitione patet duo quadrata A N, N C, æquari duobus quadratis I N, B N, & rectangulo A B C, bis, ergo duo quadrata A N, N C, superant quadratum N B, quadrato I N, & rectangulo A B C, bis, & constat propositum.

PROPOSITIO II.

Si à duobus punctis inflectantur rectæ, & sint in proportione datâ, punctum continget vel rectam lineam, vel circumferentiam.

Sint data duo puncta A, & C, & sit primùm data ratio æqualitatis: dividatur A C



bifariam in B, & excitetur perpendicularis B D, patet quodcumque punctum in ipsa sumatur ut D, fore rectos A D, D C, æquales.

Sed sit data ratio inæqualitatis.



Et sint duo data puncta A, B, ratio ut R, ad S, fiat ut R, quadratum ad S, & ita A N, ad N B, inter A N, N B, sumatur media N O, cujus intervallo describatur circulus N O Z, & in ipsius circumferentia sumatur quodcumque punctum ut V, junganturque V A, V B, Aio esse in datâ ratione R, ad S, nam iuncta V N, ipsi V A, parallela sit B I, ut A N, ad N O, sive N V, ad N B, & sunt circà eumdem angulum A N V,, similia igitùr duo triangula A N V, B V N, & angulus V A B, angulo B V I, æqualis, Sed & A V B, V B I, propter parallelas æquales sunt, ergò similia triangula A V B, V B I, & est A V, ad V B, ut V B, ad B I, & ut V B, ad B I, id est A N, ad N B. id est R, quadratum ad S. quadratum, ita A N, quad. ad V B, Quad. est ergò A V, ad V B, ut R, ad S, & patet propositum.

PROPOSITIO III.

Si sit positione data recta linea, & in ipsa datum punctum à quo ducatur quædam linea terminata, à termino autem ipsius ducatur, & ad positionem, & sit quod fit à ductâ æquale ei quod à datâ, & abscissâ, vel ad datum punctum, vel ad alterum datum in linea datâ positione, terminus ipsius positione datam circumferentiam continget.

Sit data recta A B, positione & in ipsa datum punctum A, oportet invenire circuli circumferentiam in quâ sumendo quodlibet puuctum ut E, & demittendo perpendicularem E I, quadratum A E, sit æquale rectangulo sub datâ qualibet rectâ &



A I. (per quam debemus intelligere in hâc propositione abscissam ad datum punctum) sit recta data A B, super A B, describatur semicirculus; patet ex constructione A B, in A I, æquari quadrato A E.

Sed alius casus est difficilior quandò videlicet recta abscinditur ad aliud punctum quàm A, ut in hoc exemplo.

Sint data duo puncta A B, & præterea punctum E, in eâdem recta lineâ; recta



verò data sit A B, oportet invenire circuli circumferentiam ut P I O, in quâ sumendo quodlibet punctum ut I, & demittendo perpendicularem I R, quadratum A I, æquetur rectangulo sub rectâ A B, datâ & rectâ, E R, rectangulum B A E; ad rectam B A, applicetur excedens figura quadrata & faciat latitudinem rectam A P, cui fiat æqualis B O, super P O, descriptus semicirculus præstabit propositum, nam quadratum A I, æquatur quadrato A R, & quadrato R I, quadratum verò R I, æquatur rectangulo, P R O, & rectangulum P R O, rectangulis A R B, O A P, hoc est B P A, hoc est B A E, ut mox demonstrabitur, quadratum ergo A I, æquatur quadrato A R, rectangulo A R B, & rectangulo B A E, sive quadratum A I, æquatur rectangulo B A R, (nam huic rectangulo æquantur quadratum A R, & rectangulum A R B,) & rectangulo B A E, & adhuc hæc duo rectangula faciunt unum rectangulum sub B A, in E R, quod proindè quadrato A I, est æquale; probandum superest

rectangulum P R O, duobus rectangulis ARB, & P B O, æquale esse, nam ducendo in-
ter se partes rectangulum PRO, est æquale singulis rectangulis PA, in RB, PA, in B O,
hoc est B O, quadrato A R, in R B, A R, in B O, id est P A, in A R, sed duo P A,
in A R, & P A, in R B, æquantur P A, in A B, sivè AB, in A O, una cum BO,
quadrato æquatur A O B, hoc est P B O, ergò rectangulum A R B, una cum re-
ctangulo P B O, facit rectangulum P R O, quòd erat demonstrandum.

Diversos casus non prosequor, sed ex jam dictis facillimum erit: videtur tamen alius hujus propositionis casus non omittendus quando videlicet punctum E, ultra A, ut superiùs non invenitur.

Sint data duo puncta A, & E, & recta data A B, & sit invenienda circuli circumferentia ut N O R, ita ut sumendo quodlibet in ipsa punctum ut O, & demittendo



O I, perpendicularem, quadratum A O, sit æquale rectangulo sub B A, in E I, re-rectangulum B A E, ad rectam B A, applicetur deficiens in figura quadrata in R, & ipsi A R, fiat æqualis B N super R N, descriptus semicirculus præstabit propositum. Demonstratio verò non est absimilis ei quam in priore casu attulimus.

PROPOSITIO IV.

SI à duobus punctis datis rectæ lineæ inflectantur, & sit quod ab una efficitur eo quod ab altera dato majus quàm in proportione, punctum positione datum circumferentiam continget.

Sint duo puncta A, & B, ratio data A I, ad I B, spatium datum B A N, inter N I, & I B, media sit I Z, cujus intervallo describatur circulus Z V R, in quo sumatur



quodlibet punctum ut V, & jungantur V A, V B, Aio quadratum A V, quadrato V B, Majus esse quam in proportione data I A, ad B I, spatio dato B A N, nam fiat ipsi æquale rectangulum V A O, & jungantur O B, N V, V I, & ipsi A V, parallela B F, probandum est rectangulum A V O, ad quadratum V B, esse ut A I, ad I B, est ut N I, ad I Z, id est V I, ut V I, ad I B, & sunt circa eumdem angulum, ergò duo triangula N I V, V B I, sunt similia, & angulus N V B, angulo B V F, æqualis sed

sed angulus V N B, angulo V O B, est æqualis in eadem sectione, cum quatuor puncta N, B, V, O, sint in circulo propter æqualia rectangula B A N, V A O, ergò angulus V O B, angulo B V F, est æqualis, sed & angulus O V B, angulo V B F, propter parallelas, ergò duo triangula O B V, B V F, sint similia & ut O V, ad V B, ita V B, ad B F, addatur utrinque communis ratio A V, ad V B, ergò ratio composita ex A V, ad V B, & ex V B, ad B F, hoc est ratio A V, ad B F, id est A I, ad I B, erit eadem rationi A V, ad V B, & O V, ad V B, hoc est rectanguli A V O, ad quadratum V B, quod demonstrare oportebat.

Videtur Pappus omisisse hoc loco propositionem huic similem quæ ita se habet.

Si à duobus punctis datis rectæ lineæ inflectantur & sit quod ab una efficitur eo quod ab altera, dato minùs quam in proportione, punctum positione datum circumferentiam continget.

Sint data duo puncta A, & B, ratio A N, ad N B, spatium B A T, inter T N, N B, esto media N L, cujus intervallo describatur circuli circumferentia L Y Z, in qua sumpto quolibet puncto Y, jungantur Y A, Y B, aio quadratum Y A, unà cum



rectangulo B A T, dato, ad quadratum Y B, esse ut A N, ad N B, nam fiat Y A R, æquale B A T, & jungantur T Y, R B, Y N, & ipsi A Y, parallela B V, propter B A T, Y A R, æqualia rectangula probabitur angulus Y T B, angulo Y R B, æqualis & reliqua ut in superiore demonstratione.

PROPOSITIO V.

SI à quotcunque datis punctis ad punctum unum inflectantur rectæ lineæ, & sint species, quæ ab omnibus fiunt, dato spatio æquales, punctum continget positione datam circumferentiam.

Sint data duo primùm puncta AB, quæ per rectam A B, conjungantur, bifariam scindatur in E, centro E, interuallo quocumque ut E I, circulus describatur ut I O N.



dico quodcumque punctum in ipsius circumferentia sumpseris ut O, evenire ut quadrata A O, O B, simul quadratorum I E, A E, sint dupla. Nam junctâ rectâ E O, in ipsam B V, A Z, perpendiculares demittantur, in triangulo A E O, quadratum A O, æquatur quadratis A E, E O, & rectangulo O E Z, bis, in triangulo O E B, quadrata O E, E B, æquantur quadrato O B, & rectangulo O E V, bis, sive O E Z, bis cum E V, sit æqualis E Z, propter æquales A E, E B, ergò jungendo æqualia æqualibus, quadrata A O, O B, & rectangulum O E Z, bis, æquantur quadratis A E, E B, sive quadrato E A, bis & quadrato E O, bis, id est quadrato I E, bis, unà cum rectangulo O E Z, bis, auferatur utrinque O E Z, bis, supererit verum quod asserebamus, & constat propositum in primo casu.

Sint data tria puncta B, D, E, in recta linea & sit recta B D, recta D E, major, differentiæ inter B D, & D E, sit tertia pars C D, centro E, intervallo quocumque vt E A, describatur semicirculus A M F, aio quodcumque punctum in ipsius circumferentia



sumpseris ut M, eandem semper fore summam trium quadratorum M B, M D, M E, nam jungantur M B, M C, M D, M E, ipsi vero C D, fiat æqualis E N, & jungatur M N, cum B D, superet D E, triplâ C D, sive triplâ E N, ergo D N, unà cum duplâ C D, æquabitur B D, & C N, unà cum C D, æquabitur B D, auferatur utrinque C D, ergo C N, æquabitur B C, cum C D, sit æqualis E N, per secundam hujus libelli propositionem, idem erit semper excessus quadratorum C M, M N, super duo quadrata D M, M E, sed C M, quadratum est semper idem: ergò duo quadrata D M, M E, semper vel quadrato M N, æqualia erunt vel in idem excedent, vel in idem deficient. Addatur utrinque quadratum M B, ergò tria quadrata M B, M D, M E, duobus quadratis B M, M N, vel semper æqualia erunt, vel in idem excedent, vel in idem deficient, sed B M, M N, quadrata idem semper conflant spatium ex superiori propositione propter æqualitatem rectarum B C, C N, ergò quadrata B M, D M, E M, idem semper spatium conficiunt, quod erat demonstrandum.

DEMONSTRATIO GENERALIS
EJUSDEM PROPOSITIONIS.

Exponantur primò duo puncta A, & E, jungatur A E, & bifariam dividatur in C, planum datum sit Z, quod necessariò debet esse non minùs quadratis duobus A C, A E, ut patet, si sit æquale illis duobus quadratis, punctum C, tantùm proposito satisfaciet; nec erit aliud punctum à quo junctarum ad puncta A E, quadrata simul sumpta æquentur Z, plano.

Si sit majus duobus quadratis A C, C E, excessus dimidium æquetur quadrato



C B, centro C, intervallo C B, descriptus circulus satisfaciet proposito, quod tanquam à Pappo demonstratum & ab aliis, & proclive nimis omittemus ne in facilibus diutiùs immoremur.

Lemma ad generalem methodum.

Exponantur in 1. 2. & 3. figura quotlibet puncta data A B C E, & pro numero punctorum sumatur rectarum puncto A, & reliquis datis terminatarum pars conditionaria A D, quadrans nempe in hoc exemplo; sit igitur A D, pars quarta rectarum A B, A C, A E, puncti D, diversa est positio prout variant casus. Aio rectas punctis datis & puncto D, à parte puncti A terminatas æquari rectis, punctis datis, & puncto D, à parte puncti E, terminatis, in 1. nempe figura rectam E D, æquari rectis A D, B D, C D, in 2. figura rectas E D, C D, æquari rectis B D, A D, & in 3. figura rectas E D, C D, B D, æquari A D, in 1. & in 3. figura ex hypothesi quater A D,



1. Figura.

2. Figura.

3. Figura.

æquatur rectis A B, A C, A E, dematur utrinque A D, ter, remanebit illi A D, semel, sed auferre A D, ter, ab ipsis A B, A C, A E, idem est atque auferre A D, semel ab unaquaque ipsarum A B, A C, A E, quo peracto remanebunt istinc B D, C D, E D, æquales A D, quod erat demonstrandum.

Si darentur quinque puncta A D, quinquies esset conferenda cum quatuor rectis punctis datis & puncto A, terminatis: denique uniformi procederetur in infinitum methodo.

In 2. figura A D, quater, æquatur rectis A B, A C, A E, auferatur utrinque A D, ter, & addatur B D, remanebunt A D, B D, æquales E D, C D.

In 1. figura A D, quater æquatur rectis A B, A C, A E, addatur utrinque B D, C D, & dematur A D, ter, remanebunt rectæ A D, B D, C D, æquales rectæ D E.

Nec dissimilis est in quotlibet in infinitum punctis methodus, idemque concludetur quacunque ratione varient casus.

Lemma Alterum.

EXponatur in 1. figura constructio præcedens & sumatur in eadem recta punctum N, utcumque. Aio quadrata rectarum punctis datis & puncto N, terminatarum superare quadrata rectarum punctis datis, & puncto D, terminatarum quadrato D N, toties sumpto quot sunt puncta data, quater nempe in hoc exemplo.

Secunda & tertia figura vatios casus repræsentant.

1. *Figura.*

2. *Figura.*

3. *Figura.*

In 1. figura quadrata A N, B N, E N, superant quadrata A D, B D, C D, si unumquodque unicuique conferas. quadrato D N, ter & rectangulis A D, in DN, bis, B D, in D N bis C D, in D N, bis, quadrata igitur A N, B N, C N, æquantur quadratis, A B, B D, C D, quadrato D N, ter, & rectangulis A D, in D N, bis, D B, in D N, bis, & C D, in D N, bis: illud autem patet ex genesi quadrati à binomia radice affirmatâ effecti. Ex alia autem parte quadratum E N, æquatur quadratis E D, N D, minùs E D, in D N, bis, illudque patet ex genesi quadrati à binomia radice negata effecti. Ergò quadrata quatuor A N, B N, C N, E N, æquantur quadratis quatuor A D, B D, C D, E D, quadrato D N, quater, rectangulis A D, in D N, bis, B D, in D N, bis, C D, in D N, bis, minus E D, in D N, bis, si igitur probaverimus rectangula negata æquivalere affirmatis manebit veritas propositionis stabilita, nempe quadrata A N, B N, C N, E N, superare quadrata A D, B D, C D, E D, quadrato D N, quater.

Probandum igitur rectangulum E D, in D N, bis, æquari rectangulis A D, in D N. bis, B D, in D N, bis, C D, in D N, bis; & omnibus ad D N, applicatis rectam E D, æquari rectis A D, B D, C D, quod quidem ita se habere superius lemma demonstravit.

Varios casus non moramur, si sint quinque puncta quadrata punctis datis, & puncto N, terminata, superabunt quadrata punctis datis & puncto D, terminata, quintuplo quadrati D N, nec differt à tradito casu ulterior demonstratio.

Inde patet summam quadratorum puncto D, terminatorum esse minimam.

Dum tibi loquimur, scrupulosam nimis casuum observationem non adjungimus. Conclusio secundi Lemmatis semper eò deducetur ut probentur rectangula omnia ex una parte affirmata æquari negatis ex alterâ, ideoque res ad primum Lemma deducetur.

PROPOSITIO I. Generalis.

EXponatur superior figura & sint data quatuor puncta in recta A E, A, B, C, E, esto A D, quarta pars (conditionaria nempe) rectarum A B, A C, A E, & sit datum Z, planum. Proponitur invenire circulum in quo sumendo quodlibet punctum, & ab eo jungendo rectas ad puncta data quadrata junctarum simul sumpta æquentur spatio dato, Z, planum debet esse majus quatuor quadratis A D, E D, C D, E D, ut locum habeat propositio ex superius demonstratis.

Arguetur igitur quatuor illis quadratis, & præterea quadruplo quadrati D N, centro D, intervallo D N, descriptus circulus præstabit propositum.

Nam sumatur primo punctum N, ex utravis parte, demonstratum est secundo Lemmate quadrata A N, B N, C N, E N, æquari quadratis, A D, B D, C D, E D, & præterea quadrato D N, quater, at quadrata A D, B D, C D, E D, unâ cum quadrato D N, quater æquantur Z, plano, ergo quadrata quatuor A N, B N, C N, E N, æquan-



tur Z, plano, hoc est spatio dato quod erat demonstrandum.

Excitetur deinde perpendicularis D M, & jungantur A M, B M, C M, E M. Aio quatuor illa quadrata æquari spatio dato Z, plano, nam quadratum A M, æquatur quadrato A D, & quadrato D M.

Quadratum B M, æquatur quadrato B D, & quadrato D M.

Quadratum C M, æquatur quadrato C D, & quadrato D M.

Quadratum E M, æquatur quadrato E D, & quadrato, D M.

Ergò quatuor quadrata A M, B M, C M, E M, æquantur quadratis quatuor A D, B D, C D, E D, unà cum quadrato D M, sivè D N, quater, ut quadrata A D, B D, C D, E D, unà cum quadrato D N, quater æquantur Z. plano seu spatio dato, ergo quadrata quatuor A M, B M, C M, E M, æquantur spatio dato, quod erat demonstrandum.

Sed sumatur ubicumque punctum M, à quo demittatur perpendicularis M O, Similiter probabitur quadrata A M, B M, C M, E M, æquari quadratis A O, B O,



C O, E O, quæ ex secundo lemmate æquantur quadratis A D, B D, C D, E D, & præterea quadrato O D, quater, ergo quadrata quatuor A M, B M, C M, E M, æquantur quadratis A D, B D, C D, E D, unà cum quadrato O D, quater, & præterea quadrato O M, quater, sed quadratum O D, quater, unà cum quadrato O M, quater æquatur quadrato D M, quater sive quadrato D N, quater, sunt enim D M, D N, ex centro æquales inter se, igitur quadrata A M, B M, C M, E M, æquantur quadratis A D, B D, C D, E D, unà cum quadrato D N, quater, ideoque spatio dato Z, plano sunt æqualia, quod erat demonstrandum.

Si compleantur circuli, eadem demonstratio in aliis semicirculis locum habebit, &

ad quotlibet puncta eadem facilitate & argumentatione extendetur, ſemper enim toties ſumentur quadrata D M, D N, D O, quot erunt puncta nec fallet ratiocinatio.

Inde ſequitur corollarium cujus uſus in ſequenti propoſitione.

Exponantur quotlibet puncta data, verbi gratia, tria A, B, E, & inveniendus circulus D N M, in quo ſumendo quodlibet punctum ut M, & jungendo rectas A M,

A D 4. pars A B 2. + E.



A D 4. pars A B + E.



A D 4. pars A B + A E.



B M, E M, quadrati A M, duplum (verbi gratia) una cum quadratis B M, E M, æquentur ſpatio dato, eo caſu ſumenda eſt ad constructionem recta A D, pars quarta rectarum A B, A E, quia hoc caſu punctum A, gerit vicem duorum punctorum & idem eſt ac ſi diceretur datis punctis quatuor A, A, B, E, invenire circulum N M, in quo ſumendo quodlibet punctum ut M, quadrata quatuor A M, A M, B M, E M, æquentur ſpatio dato, idem eſt intelligendum in alio quovis puncto, & alia qualibet ratione multiplici, nam proponatur quadratum A M, una cum quadrato E M, bis, & quadrato E M, æquari ſpatio dato, ſumenda eſt A D, quarta pars rectarum A B, bis & A E, quod advertiſſe & monuiſſe fuit neceſſe, nec indiget res majori explicatione.

PROPOSITIO ALTERA.

EXPONANTUR quotlibet puncta data in recta A E, quatuor (verbi gratia) A, B, C, E, & punctum Z. extra rectam A E, quæritur circulus ut M I, in quo ſumendo quodlibet punctum ut I. quadrata A I, B I, C I, E I, Z I, æquentur ſpatio dato.

Demittatur in rectam A E, perpendicularis Z R, & rectarum A R, A B, A C, A E, ſumatur pars conditionaria (quintans nempe in hac ſpecie in qua dantur quinque puncta) A D, & excitata perpendiculari D O, demittatur in ipſam perpendicularis Z O, rectæ Z R, ſumatur pars conditionaria (quintans nempe) R F, ſive D N, & ſit ſpatium datum æquale quinque quadratis A D, R D, B D, C D, E D, & præterea Z,

plano Z, planum æquetur D N, quater (pro numero nempe punctorum in recta A E, datorum) quadrato N O, & præterea quadrato N M, quinquies, (pro numero omnium punctorum datorum) aio circulum centro N, intervallo N M, deſcriptum præſtare propoſitum: ſumatur in eo quodlibet punctum ut I, & junctis A I, B I, C I, E I, Q I, ducatur V I X, parallela A E, & I Y, parallela O D, patet quadratum D I, quater unà cum quadrato O I, æquari Z, plano ex corollario præcedentis propoſitionis, punctum enim D, gerit vicem quatuor punctorum, cum igitur D N, ſit quintans O D, patet quadratum D I, quater unà cum quadrato O I, æquari quadrato D N, quater, quadrato O N, & quintuplo quadrati N M, ſed per constructionem quadratum D N, quater una cum quadrato O N, & quintuplo quadrati N M, æquatur Z, plano. Ergo quadratum D I, quater unà cum quadrato O I, æquatur Z, plano.



Sed quadratum D I, quater æquatur quadrato D X, quater, & quadrato X I, quater, & quadratum O I, æquatur quadrato O X, & quadrato X I, ergo Z, planum æquatur quadrato D X, ſive I Y, quater quadrato X O, ſive V Q. ſemel & quadrato X I, quinquies, addantur utrinque quadrata quinque A D, R D, B D, C D, E D, fiet inde ſpatium datum, hæc enim quinque quadrata, cum Z, plano, ex hypotheſi æquantur ſpatio dato, inde verò quinque, quadratis A I, B I, C I, E I, Q I, quæ proinde æquabuntur ſpatio dato; hoc ut conſtet ex 2. lemmate quadrata A D, R D, B D, C D, E D, unà cum quadrato D Y, quinquies, æquabuntur quadratis A Y, R Y, B Y, C Y, E Y, igitur quadrata A D, R D, B D, C D, E D, addita quadrato I Y, quater, V Q, ſemel, & D I, quinquies æquabuntur quadratis A Y, R Y, B Y, C Y, E Y, unà cum I Y, quater, & V Q, ſemel ſingulis quadratis A Y, B Y, C Y, E Y, addatur quadratum I Y, fient quadrata ta A I, B I, C I, E I, æqualia quadratis A Y, B Y, C Y, E Y, & præterea quadrato I Y, quater, igitur quadrata A D, R D, B D, C D, E D, addita quadrato I Y, quater V Q. ſemel & D Y, quinquies æquabuntur quadratis A I, B I, C I, I E, & præterea quadrato R Y, & quadrato V Q. ſemel. Sed quadratum R Y, ſive Q I, unà cum quadrato Q V, æquatur quadrato Q I, igitur quadrata A R, R D, B D, C D, addita quadrato I Y, quater, V Q, ſemel, & D Y, quinquies æquabuntur quadratis A I, B I, C I, E I, & Q I, at probandum eſt quadrata illa o mnia æquari ſpatio dato. Ergò quadrata quinque A I, B I, C I, E I, & Q I, æquantur ſpatio dato, quod erat demonſtrandum.

Inde facillimè deducitur ſpatium datum æquari quadratis A N, B N, C N, E N, Q N,

& quintuplo quadrati N M, quod tanquam facile prætermittimus.

Imò & ad quotlibet puncta producetur artificium eadem ratione, si enim dentur duo puncta Q, & L, extra lineam, perfectâ constructione, ut vides, sumetur A D,



sextans rectarum A R, A S, A B, A C, A E, rectarum Q R, & L S, sextans D N, sumetur, spatium datum fiet æquale quadratis A D, R D, S D, B D, C D, E D, & præterea quadraro D N, quater, N O, semel, N P, semel & N M, sexties, & reliqua perficientur eadem ratione, semperque punctum B, vicem geret omnium punctorum in rectâ A E, datorum, & puncta P O, vicem gerent datorum punctorum Q, & L, & cætera in infinitum uniformi methodo conserventur, & demonstrabuntur.

Sed quoniam multiplices casus oriuntur ex diversa rectæ assumptæ duo vel plura puncta contingentis positione, dum puncta reliqua diversas ex parte qualibet rectâ assignata sortiuntur positiones. (licèt unicuique casui sua competant compendia) placet in artis specimen generaliùs ostendere & construere.

Dentur quotlibet puncta A, B, C, D, E, F, sive in eadem recta sive in diversis, sumatur in eodem plano recta quævis S R, ita ut omnia puncta data sint ex una



parte rectæ S R, demissis perpendicularibus A G, B H, C I, D K, E M, F N, sumatur rectarum G H, G I, G K, G M, & G N, pars conditionata sextans nempe in hoc casu, excitetur perpendicularis L O, à qua resecetur L O, pars conditionaria sex-

sextans nempe rectarum A G, B H, C I, K D, E M, F N, & sit spatium datum æquale quadratis A O, B O, C O, D O, E O, F O, & sextuplo quadrati O P, circulus centro, O, intervallò O P, descriptus satisfaciet propositioni, nec difficilis est inventio ei qui superiores noverit.

PROPOSITIO VI.

SI à duobus punctis datis inflectantur rectæ lineæ, à puncto autem ad positione dictam lineam abscissa à recta positione data ad datum punctum, & sint species ab inflexis æquales ei quod à data & abscissâ continetur, punctum ad inflexionem positione datam circumferentiam continget.

Descripsi propositionem quemadmodum reperitur apud Pappum ex versione Federici Commandini, sed vel in textu græco vel in interpretatione mendum esse non dubito. Sensum propositionis exponam.

Sint duo puncta A, & B, oportet invenire circumferentiam ut N, O, B, in qua sumendo quodlibet punctum ut O, & jungendo rectas O A, O B, & demittendo



perpendicularem O I, rectangulum sub recta data in A I, æquetur duobus quadratis A O, O B, sit primum A, B, recta data, qui casus satis est facilis, sumatur ipsius A B, dimidium B N, superque B N, semicirculus describatur, aio satisfacere proposito, hoc est si sumatur, verbi gratia, punctum O, rectangulum B A I, duobus quadratis A O, O B, æquale esse; nam A O, quadratum æquatur A I, quadrato & I O, quadrato si à rectangulo B A I, auferatur quadratum A I, & quadratum I O, sivè rectangulum B I, in I N, superest rectangulum sub B I, in A N, sive in N B, quod probandum est esse æquale quadrato B O, & patet ex constructione ita se habere.

Secundus casus est quando recta data major est rectâ A B, cujus constructionem dabimus modo recta data sit minor duplâ A B.

Sint data duo puncta A, & B, & recta A I, duplâ A B, minor ex hypotesi; oportet



facere quod proponitur. Recta A B, bifariam secetur in N, & fiat N E, ipsius B I, dimidia quod ex constructione licet, rectangulum I B N, ad rectam B E, applicetur, excedens figurâ quadratâ, & faciat latitudinem rectam E V, cui fiat æqualis recta B Z, & super V Z, describatur semicirculus V L Z, aio satisfacere proposito, nam junctis

L A , L B , & demissa perpendiculari L O , cujus primus casus sit inter , E , & B , pa-
tet ex demonstratis ad propositionem tertiam Appollonij triangulum E O B , unà cum
rectangulo V E Z , sive N B I , æquari quadrato, O L, addatur utrinque quadratum O B ,
rectangulum E B O , unà cum N BI , æquabitur quadrato L O , & quadrato O B , dupli-
cetur rectangulum E B O, bis , unà cum rectangulo N B I, bis, sive solo A B I, æqua-
buntur quadratis L O, O B, bis, sive A B, in B O, semel unâ cum A B, in B I, æquabun-
tur quadratis L O , O B , bis , una cum rectangulo sub N E , in O B , bis , sive I B O ,
semel, ex constructione utrinque auferetur quadratum O B , supererit A O B, unà cum
A B I , æquale quadrato L O, bis, quadrato O B , semel , & rectangulo I B O , utrinque
I B , in B O , auferatur nempe illinc ex rectangulo A B I , supererit A O , in O B , unà
cum A O , in B I , sine solum rectangulum I O A , æquale quadrato L O , bis & qua-
drato O B , semel , Addatur utrinq; quadratum A O , erit rectangulum I O A , quadra-
to A O , O B , unà cum L O , quadrato bis , æquale , id est duobus tantùm quadratis ,
A L , & L B , quod erat faciendum. Ccasus alios prætermitto.

PROPOSITIO VII.

Si in circulo positione dato sit datum punctum , perque ipsum agatur quædam recta linea , & in ipsa punctum extra sumatur , sit autem quod fit à linea ducta usque ad punctum intra datum æquale ei quod à totâ & extra sumptâ , vel soli vel unà cum eo , quod duabus quæ intra circulum portionibus continetur, punctum extra sumptum positione datam rectam lineam continget.

Hæc propositio duas habet partes, quarum prior est apud ipsum Pappum propos. 157. libri septimi, secunda per additionem æqualium ex priore derivari facilè potest. Pappi igitur demonstrationem tantum adducemus.

Sit circulus circa diametrum A B , & A B , producatur sitque ad quamlibet rectam lineam D E , perpendicularis ; rectangulo autem A F B , æquale ponatur quadratum ex



F G, dico si quodcunque sumatur punctum ut E , atque ab eo ad punctum G , recta linea ducta producatur ad H , rectangulum etiam H E K , quadrato ex E G , æquale esse , jungantur A E , B L , erit angulus ad L , rectus , sed & rectus qui ad F , rectangulum igitur A E L , est æquale , & rectangulo A F B , & quadrato ex F E , quoniam enim angulus A L B , rectus est , æqualis recto A F E , sunt quatuor puncta L , B , F , E , in circulo ac propterea rectangulum F A B , æquale rectangulo E A L , quadratum autem ex A E , est æquale duobus quadratis A F , F E , sed quadrato ex A E , æqualia sunt utraque rectangnla A E L , E A L , & similiter quadrato ex A F , æqualia utraque rectangula A F B, F A B, ergo rectangula A E L , E A L , æqualia sunt rectangulis A F B , F A B , & qua-

drato ex F E , quorum rectangulum F A B , est æquale rectangulo E A L , reliquum igitur rectangulum A E L , rectangulo A F B , & quadrato ex F E , æquale erit , rectangulum autem A E L , æquale est rectangulo H E K , & rectangulum A F B , quadrato ex F G , ergo rectangulum H E K , quadratis ex E F , E G , hoc est quadrato ex E G , est æquale.

PROPOSITIO VIII. & Ultima.

Et si hoc quidem punctum contingat positione datam rectam lineam circulus autem non ponatur , quæ sunt ad utrasque partes dati puncti contingent positione eandem datam circumferentiam.

Hæc propositio est conversa præcedentis & ex ea facile elici potest hujus demonstratio si contraria viâ utamur.

Determinationes & casus non adjungimus quia ex constructione & demonstratione satis patent.

DE ÆQUATIONUM LOCALIUM TRANSmutatione, & emendatione, ad multimodam curvilineorum inter ſe, vel cum rectilineis comparationem.

CVI ANNECTITVR

PROPORTIONIS GEOMETRICÆ *in quadrandis infinitis parabolis & hyperbolis uſus.*

IN unica paraboles quadraturâ proportionem geometricam uſurpavit Archimedes. In reliquis quantitatum heterogenearum comparationibus, arithmeticæ dumtaxat proportioni ſeſe adſtrinxit. An ideo quia proportionem geometricam minùs τετραγωνίζεται eſt expertus? An verò quia peculiare ab illa proportione petitum artificium ad quadrandam primariam parabolam, ad ulteriores derivari vix poteſt? Nos certe hujuſmodi proportionem quadrationum feraciſſimam & agnoſcimus, & experti ſumus, & inventionem noſtram quæ eadem omnino methodo & parabolas & hyperbolas quadrat, recentioribus geometris haud illibenter impertimur.

Unico quod notiſſimum eſt proportionis geometricæ attributo, tota hæc methodus innititur.

Theorema hoc eſt: Datâ quavis proportione geometricâ cujus termini decreſcant in infinitum, eſt ut differentia terminorum progreſſionem conſtituentium, ad minorem terminum, ita maximus progreſſionis terminus ad reliquos omnes in infinitum ſumptos.

Hoc poſito, proponantur primo hyperbolæ quadrandæ. Hyperbolas autem definimus infinitas diverſæ ſpeciei curvas, ut D S E F, quarum hæc eſt proprietas, ut poſitis in quolibet angulo dato R A C, ipſarum aſymptotis rectis A R, A C, in infinitum, ſi placet, non ſecùs ac ipſa curva extendendis, & ductis uni aſymptotωn parallelis rectis quibuſlibet G E, H I, O N, M P, R S, &c. ſit ut poteſtas quædam rectæ A H, ad poteſtatem ſimilem rectæ A G, ita poteſtas rectæ G E, vel ſimilis vel diverſa à præcedente, ad poteſtatem ipſi homogeneam rectæ H I, poteſtates autem intelligimus, non ſo-

lùm quadrata, cubos, quadratoquadrata, &c. quarum exponentes ſunt. 2. 3. & 4. &c. ſed etiam latera ſimplicia, quorum exponens eſt unitas. Aio itaque omnes in infinitum hujuſmodi hyperbolas, unicâ demptâ, quæ Apolloniana eſt, ſive primaria, beneficio proportionis geometricæ uniformi & perpetua methodo quadrari poſſe.

Exponatur, ſi placet, hyperbola, cujus ea ſit proprietas, ut ſit ſemper ut quadratum rectæ H A, ad quadratum rectæ A G, ita recta G E, ad rectam H I, & ut quadratum



O A, ad quadratum A H, ita recta H I, ad rectam O N, &c. Aio ſpatium infinitum, cujus baſis G E, & curva E S, ex uno latere, ex alio vero aſymptotos infinita G O R, æquari ſpatio rectilineo dato. Fingantur termini progreſſionis geometricæ in infinitum extendendi, quorum primus ſit A G, ſecundus A H, tertius A O, &c. in infinitum, & ad ſe ſe per approximationem tantum accedant quantum ſatis ſit ut juxta Methodum Archimedæam, parallelogrammum rectilineum ſub GE, in G H, quadrilineo mixto G H F, adæquetur, ut loquitur Diophantus, aut ferè æquetur.

G E, in G H.

Item ut priora ex intervallis rectis proportionalium G H, H O, O M, & ſimilia ſint ferè inter ſe æqualia, ut commodè per ἀπαγωγὴν εἰς ἀδύνατον, per circumſcriptiones & inſcriptiones Archimedæa demonſtrandi ratio inſtitui poſſit, quod ſemel monuiſſe ſufficiat, ne artificium quibuſlibet geometris jam ſatis notum inculcare ſæpius & iterare cogamur.

His poſitis, cum ſit ut A G, ad A H, ita A H, A O, & ita A O ad A M, erit pariter ut A G, ad A H: ita intervallum G H, ad H O, & ita intervallum H O, ad O M, &c. Parallelogrammum autem ſub E G, in G H, erit ad parallelogrammum ſub H I, in H O, ut parallelogrammum ſub H I, in H O, ad parallelogrammum ſub N O, in O M, cùm enim ratio parallelogralemi ſub G E, in G H, ad parallogrammum ſub H I, in H O, componatur ex ratione rectæ G E, ad rectam H I, & ex ratione rectæ G H, ad rectam H O: ſit autem ut G H, ad H O, ita A G, ad A H, ut præmonuimus. Ergo ratio parallelogrammi ſub E G, & G H, ad parallelogrammum ſub H I, in H O, componitur ex ratione G E, ad H I, & ex ratione A G, ad A H, ſed ut G E, ad H I, ita ex conſtructione H A, quadratum, ad quadratum G A, ſive propter proportionales: ita recta A O, ad rectam G A. Ergo ratio parallelogrammi ſub E G, in G H, ad parallelogrammum ſub H I, in H O, componitur ex ratione A O, ad A G, & A G, ad A H, ſed ratio A O ad A H, componitur ex illis duabus. Ergo parallelogrammum ſub G E, in G H, eſt ad parallelogrammum ſub H I, in H O, ut O A, ad H A; ſive ut H A, ad A G.

Similiter probabitur parallelogrammum ſub H I, in H O, eſſe ad parallelogrammum ſub O N, in O M, ut A O, ad H A, ſed tres rectæ quæ conſtituunt rationes parallelogrammorum, rectæ nempe A O, H A. G A, ſunt proportionales ex conſtructione.

Ergo parallelogramma in infinitum ſumpta ſub G E, in G H, ſub H I, in H O, ſub O N, in O M, &c. erunt ſemper continuè proportionalia in ratione rectæ H A, ad G A. Eſt igitur ex theoremate hujus methodi conſtitutivo ut G H, differentia terminorum rationis ad minorem terminum G A, ita primus parallelogrammorum progreſſionis terminus, hoc eſt parallelogrammum ſub E G, in G H, ad reliquos in infinitum parallelogrammos, hoc eſt ex adæquatione Archimedæa ad figuram ſub H I, aſymptoto H R, & curvâ in I N D, in infinitum extendendâ contentam. Sed ut H G, ad G A, ita ſumptâ communi latitudine recta G E, parallelogrammum ſub G E, in G H, ad parallelogrammum ſub G E in G A. Eſt igitur ut parallelogrammum ſub G E, in G H, ad figuram illam infinitam, cujus baſis H I, ita idem parallelogrammum ſub G E, in G H, ad parallelogrammum ſub G E, in G A, ergo parallelogrammum ſub G E, in G A, quod eſt ſpatium rectilineum datum, adæquatur figuræ prædictæ. Cui ſi addas parallelogrammum ſub G E, in G H, quod propter minutiſſimos τμηματισμοὺς evaneſcit & abit in nihilum, ſupereſt veriſſimum, & Archimedæâ licet prolixiore demonſtratione facillimè firmandum, parallelogrammum A E, in hac hyperbolæ ſpecie, æquari figuræ ſub baſe G E, aſymptoto G R, & curvâ E D, in infinitum producendâ contentæ. Nec operoſum ad omnes omnino hujuſmodi hyperbolas, unâ, ut diximus, demptâ, inventionem extendere.

Sit enim ea alterius, ſi placet, hyperbolæ proprietas, ut ſit G E, ad H I, ut cubus rectæ H A, ad cubum rectæ G A, & ſic de reliquis. Expoſitâ ex more infinitâ proportionalium, ut ſupra ſerie fient proportionalia parallelogramma E H, I O, M N, ut ſuprà in infinitum. In hoc verò caſu parallelogrammum primum erit ad ſecundum, ſecundum ad tertium, &c. ut recta A O, ad G A, quod ſtatim compoſitio proportionum manifeſtabit. Erit igitur ut parallelogrammum E H, ad figuram, ita recta O G, ad G A, & ſumptâ communi latitudine G E, ita parallelogrammum ſub O G, in G E, ad parallelogrammum ſub G E, in G A, eſt igitur ut parallelogrammum ſub O G, in G E, ad parallelogrammum ſub G E, in G H, ita parallelogrammum ſub G E, in G E, ad parallelogrammum ſub G E, in G H, ita parallelogrammum ſub G E, in G H, ad figuram & viciſſim ut parallelogrammum ſub O G, in G E, ad parallelogrammum ſub G E, in G H, ita parallelogrammum ſub G E, in G A, ad figuram. Ut autem parallelogrammum ſub O G, in G E, ad parallelogrammum ſub H G, in G E; ita O G, ad G H, ſive 2. ad 1. ea adæquatione, intervalla enim baſi proxima facta ſunt ex conſtructione ferè æqualia. Inter ſe ergo in hac hyperbola parallelogrammum E G A, quod eſt æquale ſpatio rectilineo dato, eſt duplum figuræ ſub baſe G E, aſymptoto G R, curva E S D, in infinitum producenda contentæ.

Similis in quibuſlibet aliis caſibus habebit locum demonſtratio, niſi quod in primaria, ſive Apolloniana & ſimplici hyperbola deficit eâ ſolâ ratione methodus; quia in hac parallelogramma E H, I O, N M, ſunt ſemper inter ſe æqualia; atque ideo cum termini progreſſionis conſtitutivi, ſint inter ſe æquales, nulla inter eos eſt differentia, quæ totum in hoc negotio conficit myſterium.

Demonſtrationem quâ probatur ſpatia in hyperbola communi parallelogrammis contenta, eſſe ſemper inter ſe æqualia, non adjungimus, cùm ſtatim per ſe ipſa ſe prodat; & ex hac unica proprietate quæ aſſerit in ea ſpecie eſſe ut G E, ad H I, ita H A, ad G A, facillimè derivetur.

Eadem ratione parabolæ omnes omnino quadrantur, nec eſt ulla quæ ab artificio noſtræ methodi, ut fit in hyperbolis, poſſit eſſe immunis.

Unicum in parabola, ſi lubet, primariâ & Apollonianâ adjiciemus exemplum, cujus exemplo reliquæ omnes in quibuſlibet in infinitum parabolis demonſtrationes expedientur.

Sit ſemiparabole primaria A G R E, cujus diameter C B, ſemibaſis A B, ſumptis autem applicatis I E, O N, G M, &c. ſit ſemper ut quadratum A B, ad quadratum



I E, ita recta B C, ad C E, & ut quadratum I E, ad quadratum O N, ita recta E C, ad C N, & ſic in infinitum ex proprietate ſpecificæ paraboles Apollonianæ. Intelligantur ex more methodi rectæ B C, E C, N C, M C, H C, &c. in infinitum continuè proportionales. Erunt etiam, ut ſuperius probatum eſt, proportionalia parallelogramma, A E, I N, O M, G H, &c. in infinitum. Ut cognoſcatur ratio parallelogrammi A E, ad parallelogrammum I N, recurrendum ex methodo ad compoſitionem proportionum, componitur autem ratio parallelogrammi A E, ad parallelogrammum I N, ex ratione A B, ad I E, & ex ratione B E, ad E N. Cum autem ſit ut A B, quadratum, ad I E, quadratum, ita B C, ad C E, ſi inter B C, & C E ſumatur media proportionalis C V, item inter E C, & N C, media proportionalis Y C, erunt continuè proportionales rectæ B C, V C, E C, Y C, N C, & ut B C, ad E C, ita erit B C, quadratum ad V C, quadratum, ſed ut B C, ad E C; ita quadratum A B, ad quadratum E I, Ergo ut A B, quadratum ad E I, quadratum, ita erit B C, quadratum ad V C, quadratum: & ut A B, ad I E, ita erit B C, ad V C, ratio igitur parallelogrammi A E, ad parallelogrammum I N, componetur ex ratione B C, ad V C, ſive V C, ad C E, ſive E C ad Y C; & ex ratione B E, ad E V, ſive ex ſuperius demonſtratis B C, ad C E, Ratio autem quæ componitur ex his duabus rationibus, B C, nempe ad C E, & C E, ad C Y, eſt eadem quæ ratio B C, ad C Y, igitur parallelogrammum A E, eſt ad parallelogrammum I N, ut B C, ad Y C, ideoque ex theoremate methodi conſtitutivo, parallelogrammum A E, erit ad figuram I R C H E, ut recta B Y, ad rectam B C, ideoque ut idem parallelogrammum A E, ad totam figuram A I G R C B, ita recta B Y, ad totam diametrum B C, ut autem recta B Y, ad totam diametrum B C, ita ſumptâ communi latitudine A B, parallelogrammum ſub A B in B Y, ad parallelogrammum ſub A B, in B C, ſive parallelogrammum B D, ductâ A D, diametro parallelâ occurrente tangenti C D, in D, ergo ut parallelogrammum A E, ad totam figuram ſemiparabolicam A R C B; ita parallelogrammum ſub A B, in B Y, ad parallelogrammum B D, & viciſſim ut parallelogrammum A E, ad parallelogrammum ſub A B, in B Y; ita figura ad parallelogrammum B D, ut autem parallelogrammum A E, ad parallelogrammum ſub A B, in B Y, ita propter communem latitudinem recta B E, ad B Y, ergo ut B E, ad B Y, ita figura ad parallelogrammum; & convertendo ut B Y, ad B E, ita parallelogrammum B D, ad figuram A R O B; eſt autem B Y, ad B E, propter adæqualitatem & ſectiones minutiſſimas, quæ rectas B V, V E, E Y, intervalla proportionalium repræſentates, ferè inter ſe ſupponit æquales, ut 3. ad

2. Ergoparallelogrammum B D, ad figuram eſt ut 3. ad 2. quæ ratio congruit τετραγωνισμῷ parabolcs Archimedæo, licet ab eo geometrica proportio aliâ ratione fuerit uſurpata; Methodum autem variare, & diverſam ab Archimede viam ſectari neceſſum habuimus, quia ſterilem proportionis geometricæ ad quadrandas cæteras in infinitum parabolas applicationem deprehenſam iri, inſiſtendo veſtigiis tanti viri non dubitamus. Demonſtratio autem & regulæ generales ex noſtra methodo ferè in omnibus omnino parabolis ſtatim patebunt.

Sit enim, ut nullus ampliùs ſuperſit dubitandi locus parabole ea de qua mentionem fecit diſſertatio noſtra de linearum curvarum cum lineis rectis comparatione, curva



A I C B, cujus baſis A B, diameter B C, & ſit ut cubus applicatæ A B, ad cubum applicatæ I E, ita quadratum rectæ B C, ad quadratum rectæ E C, & reliqua ponantur ut ſupra; ſeries nempe proportionalium rectarum B C, E C, N C, M C, &c. item ſeries proportionalium parallelogrammorum A E, I N, O M, &c. in infinitum. Inter B C, & E C, ſumantur duæ mediæ proportionales V C, R C, item inter E C, & C N, ſumantur etiam duæ mediæ proportionales S C, T C, conſtat ex conſtructione, cum ratio B C, ad E C, ſit eadem rationi E C, ad N C, fore quoque continuè proportionales rectas B C, V C, R C, E C S C, T C, N C. Eſt autem ut A B, cubus ad cubum I E, ita B C, quadratum ad E C, quadratum, ſive recta B C, ad rectam N C. Cum autem ſint, ut ſupra probavimus, ſeptem continuè proportionales, B C, V C, R C, E C, S C, T C, N C, ergo prima, tertia, quinta & ſeptima erunt etiam continuè proportionales, ideoque erit B C, ad R C, ut R C ad S C, & ut S C, ad N C. Ut igitur prima B C, ad quartam N C, ita cubus primæ B C, ad cubum ſecundæ R C, ſed ut B C, ad N C, ita probavimus eſſe cubum A B, ad cubum I E. Ergo ut cubus A B, ad cubum I E, ita cubus B C, ad cubum R C; ideoque ut A B, ad I E, ita B C, ad R C. Cum igitur ratio parallelogrammi A E, ad parallelogrammum I N, componatur ex ratione A B, ad I E, & ex ratione B E, ad E N, ſive B C, ad E C, ergo eadem parallelogrammorum ratio componetur ex ratione B C, ad R C, & B C, ad E C. Ut autem B C, prima proportionalium ad E C, quartam, ita R C, tertia ad T C, ſextam. Ergo parallelogrammi A E, ad parallelogrammum I N, ratio componitur ex ratione B C, ad R C, & R C, ad T C: hoc eſt parallelogrammum A E, eſt ad parallelogrammum I N, ut B C, ad T C, parallelogrammum igitur A E, ex prædemonſtratis, eſt ad figuram I G C E, ut recta B T, ad T C; ideoque ut parallelogrammum A E, ad totam figuram A I C B, ita recta B T, ad rectam B C, ſive ſumpta communi latitudine A B, ita parallelogrammum ſub A B, in B T, ad parallelogrammum ſub A B, in B C. Et viciſſim & convertendo, ut parallelogrammum B D, eſt ad figuram A I C B, ut parallelogrammum ſub A B, in B T, ad parallelogrammum ſub A B, in B E, ſive propter communem latitudinem A B, ut recta B T, ad rectam B E, recta autem B T, continet quinque intervalla T S, S E, E R, R V, V B, quæ inter ſe propter noſtram methodum logarithmicam cenſentur æqualia. Recta autem B E, continet tria ex iis intervallis, nempe

nempe ER, RV, V B. Ergo paralellogrammum BD, eſt ad totam figuram in hoc caſu ut 5. ad 3.

Canon verò univerſalis inde nullo negotio elicietur. Patet nempe fore ſemper parallelogrammum B D. ad figuram AICB, ut aggregatum exponentium poteſtatum applicatæ & Diametri ad exponentem poteſtatis applicatæ, ut in hoc exemplo videre eſt, in quo poteſtas applicatæ AB, eſt cubus, cujus exponens B. poteſtas autem diametri eſt quadratum, cujus exponens 3. Ergo debet eſſe, ut jam demonſtravimus, & perpetuò conſtabit, ut ſumma 3. & 2. hoc eſt 5. ad 3. exponentem applicatæ.

In hyperbolis autem canon non minori facilitate invenietur univerſalis. Erit enim ſemper in quacunque hyperbola, ſi recurras ad primam figuram, parallelogrammum BG, ad figuram in infinitum protenſam, RGED, ut differentia exponentium poteſtatum applicatæ & diametri ad exponentem poteſtatis applicatæ. Sit enim, exempli gratiâ, ut cubus HA ad cubum G A, ita quadratum. G E, ad quadratum H I, differentia exponentium cubi & quadrati hæc eſt, 3. & 2. erit 1. Exponens autem quantitatis applicatæ, hoc eſt quadrati, eſt 2. Ergo in hoc caſu parallelogrammum erit ad figuram, ut 1. ad 2.

Quod attinet ad centra gravitatis, & tangentes, tam hyperbolarum, quàm parabolarum, inventio dudùm ex noſtra methodo de maximis & minimis derivata, Geometris recentioribus innotuit, hoc eſt ante viginti, plus minus annos. Quod celebriores totius Galliæ Mathematici non gravabuntur fortaſſe exteris indicare, ne hac de re in poſterum dubitent.

Ex ſupradictis mirum, quantam opus tetragoniſmicum conſequatur acceſſionem. Infinitæ enim exinde figuræ curvis contentæ de quibus nihil adhuc, nec veteribus, nec novis Geometris in mentem venit, facillimam ſortiuntur quadraturam. Quod in quaſdam regulas breviter contrahemus.

Sit curva, cujus proprietas det æquationem ſequentem B, quad. – A, quad, æquale E, quad. (apparet autem ſtatim hanc curvam eſſe circulum.) Certum eſt poteſtatem ignotam E, quad. poſſe reduci per applicationem ſeu paraboliſmum ad latus. Poſſumus enim ſupponere E, quad. æquari B, in V, cùm ſit liberum quantitatem ignotam V, in notam B, ductam æquare quadrato E, etiam ignotæ. Hoc poſito B, quad. A, – quad. æquabitur B, in V. Homogeneum autem B in V, ex tot quantitatibus homogeneis componi poteſt, quot ſunt in parte æquationis correlativâ, iiſdemque ſignis hujuſmodi homogenea debent notari. Supponatur igitur B in V, æquari B in I B, in Y. Ex more enim Vietæo, vocales ſemper pro quantitatibus ignotis ſumimus. Ergo B, quad. – A, quad. æquatur B in I, – B in Y, æquentur ſingula membra partis unius ſingulis membris partis alterius Sit nempe B, quad. æquale B, in I, Ergò dabitur I, æqualis B, æquetur deinde – AG, – B, in Y, hoc eſt A quad. B in Y, erit extremum punctum rectæ Y ad parabolen primariam. Omnia igitur in hoc caſu ad quadratum reduci poſſunt: ideoque ſi omnia E, quad. ad rectam lineam datam applices, fiet ſolidum rectilineum datum & cognitum.

Proponatur deinde curva, cujus, hæc ſit æquatio A cub. + B, in A, quad. æquale E, cub. E, cub. applicetur ad planum datum, & ſit, verbi gratiâ, æquale B, quad. in V. Quia autem recta V, ex pluribus quantitatibus ignotis componi poteſt. Sit A, cub. + B in A, quad. æquale B, quad. in I + B. quad. in Y. æquentur ſingula inter ſe membra, hoc eſt A cub. æquetur B. quad. in I, orietur inde parabole ſub cubo & latere. æquetur deinde B in A, quad. ſecundo membro, B, quad. in Y, orietur inde parabole ſub quad. & latere, hoc eſt primaria, quadrantur autem ſingulæ ex his parabolis. Ergo aggregatum E, cuborum ad rectam datam applicatorum producit plano-planum quantitatibus ejuſdem gradus rectilineis commodè æquandum.

Si ſint plura in æquationibus membra, imò & ſub pleriſque utriuſque quantitatis ignotæ gradibus involuta, ad eamdem ut plurimum methodum reductionum legitimarum ope poterunt aptari.

Ex his patet, ſi in priori æquatione in qua B, quad. – A quad. æquavimus E, quad

loco ipſius E, quad. ponamus B in V, poſſe nos aggregatum omnium V, ad rectam da-
tam applicataru m conſiderare tanquam planum, & quadrare. Omnes enim V, nihil aliud
ſunt quàm omni a E quad. diviſa per B rectam datam. Item in ſecunda æquatione omnes
V, nihil aliud ſunt quàm omnes E cubi diviſi per B, quadratum datum. Igitur tam in pri-
ma quàm in ſecunda figura omnes V, faciunt figuram æqualem ſpatio rectilineo dato.

Hoc autem opus fit per ſynæreſim, & expeditur, ut patet, per parabolas.

Sed non minus quadrationum ferax eſt opus per diæreſim quod per hyperbolas, aut ſo-
las, aut parabolis mixtas, commodè pariter expeditur.

Proponatur, ſi placet, curva ab æquatione ſequenti oriunda.

$$\frac{\text{B, cub. cub.} + \text{BQC in A,} + \text{A cub. cub.}}{\text{A quad. quadr.}} \infty \text{ E quad.}$$

Ex jam ſuppoſitis E quad. poteſt fingi æquale B in V, ſive ut tria hinc & inde mem-
bra ſint in utraque parte æquationis. B in V, poteſt æquari B in O, + B in I, + B in Y

Quo peracto.

$$\frac{\text{B cub. cub.} + \text{BQV cub. in A} + \text{A cub. cub.}}{\text{A quad. quadr.}} \text{ æquabitur.}$$

B in O. | B in I + B in Y. Et æquando ſingula membra ſingulis $\frac{\text{B cub. cub.}}{\text{A Q Q.}}$ æquabitur B in O.

Et omnibus in A, qu. qu. ductis B, cub. cub. æquabitur A qu. qu. in B in O. Et omnibus abs B diviſis B. quad. cub. æquabitur A qu. qua. in O. quæ eſt æquatio ad unam ex hyperbolis, ut patet. Æquationes enim hyperbolarum conſtitutivæ continent ex una parte quantitatem datam; ex aliâ verò id quod fit ſub poteſtatibus duarum quantitatum ignotarum.

Secundum membrum æquationis dat $\frac{\text{BQC in A.}}{\text{A qu. qu.}}$ Sive $\frac{\text{B, qu. cub.}}{\text{A cub.}}$ æquale B in I.

Et omnibus in A cub. ductis & abs B diviſis, fit B qu. qu. æquale A cub, in I, quæ eſt æquatio alterius hyperbolæ à priore diverſæ. Denique tertium membrum eſt $\frac{\text{A cub. cub.}}{\text{A qua. qua.}}$

Hoc eſt A, qu. æquale B, in Y, quæ eſt æquatio ad parabolen.

Patet itaque in præcedente æquatione omnes V, ad rectam datam applicatas æquari ſpatio rectilineo dato. Summa enim duarum hyperbolarum quadrationi obnoxiarum, & unius parabolæ dant ſpatium æquale rectilineo vel quadrato dato.

Nihil autem vetat quominus ſingula membra numeratoris ſeparatim denominatori applicemus,, ut jam factum eſt. Eodem enim res recidit, quò ſi integrum numeratorem ex tribus membris compoſitum eidem denominatori ſemel applicemus. Ita enim ſingula æquationis membra ſingulis homogenei correlatis poſſunt commodè comparari.

Proponatur etiam $\frac{\text{B, qu. cub. in A,} - \text{B, cub. cub.}}{\text{A cub.}}$ Æquari E cub.

Fingatur E cub. æquari B, qu. in V, ſive propter duo membra homogenei correlati B, qua. in I, + B, qu. in Y. Fiet $\frac{\text{B qu. cub. in A,}}{\text{A cub.}}$ ſive $\frac{\text{B qu. cu.}}{\text{A Q.}}$ æquale B qu. in I.

& omnibus in A qu. ductis, & abs B, qu. diviſis, fiet B, cub. æquale A, qu. in I. quæ eſt æquatio ad unam de hyperbolis quadrandis.

Ponatur deinde ſecundam homogenei membrum $\frac{\text{B, cub}}{\text{Acub.}}$ æquari B qu. in Y.

Igitur omnibus in A, cub. ductis & abs, B, qu. diviſis fiet B, qu. qu. æquale A, cub. in Y, quæ eſt æquatio unius ex hyperbolis quadrationi obnoxiis conſtitutiva. Datur igitur recurrendo ad primam æquationem in rectilineis ſumma omnium E, cuborum in hac ſpecie ad certam rectam datam applicatorum.

Sed & ulteriùs progredi, & opus tetragoniſmicum promovere nihil vetat.



Sit in quartâ figurâ curva quælibet, A B D N, cujus baſis H N, diameter H A, applicatæ ad diametrum, C B, F D, & applicatæ ad baſim, B G, D E, & decreſcant ſemper applicatæ à baſe ad verticem, ut hic, H N, eſt major F D, & F D, major eſt C B, & ſic ſemper. Figura compoſita ex quadratis H N, F D, C B, ad rectam A H, applicatis, hoc eſt ſolidum ſub C B, quadrato in C A, & ſub F D, quadrato in F C, & ſub N H, quadrato in H F, æqualis eſt ſemper figuræ ſub rectangulis B G, in G H, D E, in E H, bis ſumptis, & ad baſim H N, applicatis; hoc eſt ſolido ſub B G, in G H, bis in G H, & ſub D E, in E H, bis in E G, &c. utrimque in infinitum. In reliquis autem in infinitum præſtantibus, eadem facilitate fit reductio homogeneorum ad diametrum, ad homogenea ad baſim. Quæ obſervatio curvarum infinitarum hactenus ignoratum, detegit quadrationem.

Omnes enim cubi H N, F D, C B, ad rectam A H, ſimiliter applicati, æquales ſunt aggregato productorum ex B G, in G H, quadratum, & ex D E, in E H, quadratum ad rectam H N, ſimiliter ut ſupra applicatorum, & ter ſumptorum; hoc eſt planoplanum ſub C B, cubo in C A, & ſub D F, cubo in F G, & ſub H N, cubo in H F, æquatur ſummæ planoplanorum ex B G, in G H, quadratum in H G, & ex D E, in E H, quadratum in E G, ter ſumptæ.

Aggregatum verò quadrato quadratorum H N, F D, C B, ad rectam A H, applicatorum æquatur quadruplo ſummæ plano planorum ſub B G, in G H, cubum, & ſub D E, in E H, cubum ad rectam H N, ſimiliter ut ſupra applicatorum.
Inde emananr infinitæ, ut ſtatum patebit, quadraturæ.

Eſto enim, ſi placet, curva illa A B D N, ejus naturæ, ut data baſe H N, & diametro H A, diameter data A H, vocetur in terminis analyticis B. Ipſa verò H N, baſis data vocetur D. Quælibet applicato F D, vocetur E, & quælibet H F, vocetur A; & ſit, verbi gratiâ, æquatio curvæ conſtitutiva B, quad. − A qu. æquale E, quad. (quod in circulo ita ſe habet:) Cùm ergo ex prædicto theoremate univerſali omnia E, quadrata, ad rectam B, applicata ad baſim H N, ſive ad D, applicatis, ſint æqualia omnibus productis ex H G, in G B, ſint autem omnia E, quadrata æqualia ad B, applicata ſpatio rectilineo curvo, ut ſuperiùs probatum eſt. Ergo omnia producta ex H G, in G B, bis ſumpta, & ad baſim D, applicata, continent ſpatium rectilineum datum. Ergo ſumendo dimidium, omnia producta ex H G, in G B, ad baſim D, applicata, erunt æqualia ſpatio rectilineo dato. Ut autem facillima, & nullis aſymmetriis involuta fiat tranſlatio prioris curvæ ad novam; ita conſtanti artificio, quæ eſt noſtra methodus, operari debemus.

Sit quodlibet ex productis ad baſim applicandis, H E, in E D, cum igitur F D, ſive H E, ipſi parallela vocetur in analyſi E, & F H, ſivè D E, ipſi parallela vocetur A. Ergo productum ſub H E, in E D, vocabitur E in A. Ponatur illud productum E in A, quod ſub duabus ignotis & indefinitis rectis comprehenditur æquari B in V, ſivè producto ex B, data in V, ignotam, & intelligatur E P, in directum ipſi D E, poſita æquari V, Ergo $\frac{B \text{ in } V}{E}$, æquabitur A. Cum ergò B, qu. – A, quad. æquetur ex proprietate ſpecifica prioris curvæ ipſi E, qu. Ergo ſubrogando in locum A, ipſius novum valorem $\frac{B, \text{ in } V}{E}$, fiet B, quad. in E, qu. – B, quad. in V, quad. æquale E, quad. quad. ſive per antitheſim B, quad. in E, qu. – E, qu. qu. æquale B, qu. in V, quad. quæ eſt æquatio novæ H O P N, curvæ ex priori oriundæ conſtitutiva, in qua cum omnia producta ex B, in V, dentur, ut jam probatum eſt, ſi omnia ad B, applicentur dabitur ſumma omnium V, ad baſim applicatarum. hoc eſt dabitur planum H O P N, rectilineis; ideoque ipſius quadratura.

Sit, ſecundi exempli gratiâ, æquatio prioris curvæ conſtitutiva B, in A, quad. – A cub. æquale E, cub. ſumma omnnium E, cuborum ad diametrum B, applicatorum dabitur: ideoque ſumma omnium productorum ex quadratis H E, in E D, ad baſim applicatorum. Productum autem ex H E, quadrato in E D, fit in terminis analyticis E, quad, in A, quod fingatur æquari B, quad. in V, & recta. E P, ut ſupra, æqualis V, Ergò $\frac{B, \text{ quad. in } V}{E \text{ quad.}}$, æquabitur A.

Si igitur in locum A, ſubrogemus jam agnitum illius valorem $\frac{B, \text{ quad. in } V.}{E \text{ quad.}}$

Et omnia juxta analyſeos præcepta ſequamur, fiet B, quad. cub. in V. quad. in E. quad. – E, cub. cub æquale B, cub. cub. in V, cub. quæ eſt æquatio novæ H O P N, curvæ ex priore oriundæ conſtitutiva, in quâ cùm omnia producta B, qu. in V, ad baſim D, applicata dentur, omnibus per B, quadratum datum diviſis, dabitur ſumma omnium V, ad baſim D, applicatarum ideoque quadratura figuræ H O P N, & eſt generalis ad omnes omnino caſus extendenda in infinitum methodus.

Notandum porro, & accuratè advertendum in tranſlationibus curvarum, quarum applicatæ ad diametrum verſus baſim decreſcunt, aliam omnino viam analyſtis ineundam, à præcedenti diverſam.



Sit enim in quinta figura prior curva I V C B T Y A, cujus diameter A I, applicatæ M V, N C, O B, P T, Q Y, & ejus curvæ ea ſit natura, ut applicatæ verſus baſim M V, ſemper decreſcant, donec ad baſim perveniant, ita ut M V, ſit minor quàm N C. Rurſus autem ita curva verſus A, per tramitem C B Y A, inflectatur, ut C N, ſit major quam B O, B O, major quàm P T, P T, major quàm Q Y, &c. ita ut omnium applicatarum maxima ſit C N, ſi in hoc caſu quæramus tranſlationem quadratorum M V, N C, ad baſim, ea non comparabimus productis ſub I R, in R V, ut ſupra: quia jam ex theoremate generali ſuppoſitum eſt omnia quadrata M V, N C, æquari productis ſub V G, in G N, cum C N, maxima applicatarum poſſit & debeat conſiderari ut baſis reſpectu curvæ, cujus vertex I Quadrata igitur M N, N C, in curva quarum applicatæ decreſcunt verſus baſim, comparabuntur in hoc caſu productis G V, in G N, hoc eſt, ut ad terminos analyticos æquatio in hac figura perveniat, ſi M I, vel R V, vocetur A, & ipſa M V, ſive R I, vocetur E, ipſaque C D, ſive G R, quæ ductæ per terminum maximæ applicatarum, ipſi diametro parallelæ, eſt æqualis: ideoque facilè ex noſtris methodis invenienda; rectæ datæ Z, æqualis ſupponatur, fiet productum ex G V, in G N, æquale producto ex Z, in E, – A in E: ideoque omnia quadrata M V, N C, uſque ad maximam applicatam comparabuntur productis Z, in E – A in E, ad baſim I D, applicandis. Reliqua verò quadrata C N, B O, P T, comparabuntur productis ex Y F, in F N, quæ in terminis analyticis æquivalebunt A in E, – Z in E. Quibus ita ſtabilitis facillimè ex priore curva nova verſus baſim derivabitur; idemque in aliis omnino applicatarum poteſtatibus erit obſervandum.

Ut autem pateat novas ex noſtra hac methodo emergere quadraturas, de quibus nondum recentiorum quiſquam eſt aliquid ſubodoratus.

Proponatur præcedens curva, cujus æquatio $\frac{B, \text{ quad. cub. in } A - B, \text{ cub. cub}}{A \text{ cub.}}$ æquale E, cubo.

Dantur omnes E, cubi in rectilineis, ut jam probatum eſt. Quibus ad baſim tranſlatis, fiet ex ſuperiori methodo $\frac{B, \text{ qu. in } V}{E \text{ qu.}}$, æquale A, & omnibus ſecundum artem novo ipſius A, valore accommodatis, evadet tandem nova æquatio quæ dabit curvam ex parte baſis, cujus æquatio dabit E, cub. + V, cub. æquale B in E, in V, quæ eſt curva Schotenii, cujus conſtructionem tradit in ſectione 25. miſcellanearum, pag. 493. Figura itaque curva A K O G D C H, quæ apud illum authorem delineatur ex ſuperioribus præceptis quadrationem ſuam commodè nanciſcetur.

Notandum autem de curvis in quibus aggregatum poteſtatum applicatarum datur, formari non ſolum curvas ad baſim quadrationi obnoxias, ſed etiam alias curvas ad diametrum facilè quadrandas. Si enim in 4. figura ſupponatur æquatio curvæ conſtitutiva, ut ſuperiùs diximus B, quad. – A, qu. æquale E, quad. non ſolum ex ea derivabitur nova curva ad baſim, cujus æquatio eſt B, qu. in E, qu. – E qu. quad. æquale B, qu. in V, quad. Sed etiam nova curva ad diametrum æquando poteſtatem applicatæ quæ eſt E, qu. producto B, in V. Dabuntur enim omnia producta B, in V, ad diametrum applicata. Et omnibus per B, diviſis, dabuntur omnes V, diametro applicatæ; ideoque quadraturæ curvæ novæ ex priori verſus diametrum oriundæ, cujus æquatio erit B, qu. – A qu. æquale B in V. Unde ſtatim apparet novam illam curvam versùs diametrum eſſe parabolen. Hujuſmodi autem tranſmutationum beneficio non ſolum ex prioribus curvis oriuntur nouæ; ſed itur nullo negotio a parabolis ad hyperbolas, & ab hyperbolis ad parabolas, ut experientiâ conſtabit.

Sicut autem à curvis in quibus dantur poteſtates applicatarum, fit præcedentis ope analyſeos tranſlatio ad curvas, in quibus latera applicatarum in rectilineis dantur; Ita de curvis in quibus dantur latera applicatarum, devenitur facilè ad curvas, in quibus poteſtates applicatarum dantur. Cujus rei exemplum eſto curva, cujus æquatio B, qui in E, qu. – E, qu. qu. æquale B, qu. in V, qu. in hac enim æquatione, ut jam probatum eſt, dantur omnes V, Ponatur V, æqualis eſſe $\frac{A, \text{ in } E}{B}$, & ſubrogando in locum ipſius V, novum ipſi aſſignatum valorem, $\frac{A \text{ in } E}{B}$, fiet B, qu. in E, qu. – E, quad. quad. æquale A qu. in E, qu. & omnibus ab E, qu. diviſis, remanebit B, qu. – E, qu. æquale A, qu. ſive B, qu. – A, qu. æquale E, qu. Dabuntur igitur in hac novâ curvâ, quam apparet eſſe circulum, omnia E, quadrata.

Quod ſi ex primâ curvâ in quâ dantur latera applicatarum, quæratur nova in quâ dentur cubi applicatarum, eadem methodo utendum, modò poteſtates ignotarum conditionarias uſurpemus. Proponatur enim curva quam ſuperiùs ex alia deduximus, & ſit illius æquatio B, qu. cub. in V, quad. in E, qu. – E, cub. cub. cub. æquale B, cub. cub. in V, cub.

Probatum eſt in illa dari aggregatum omnium V, hoc eſt latera applicatarum.

Ut itaque ex eâ nova curva derivetur in qua omnes cubi applicatarum dentur, ponatur V, æquari $\frac{E, \text{ qu. in } A,}{B \text{ qu.}}$ & in locum V, ſubſtituatur novus iſte quem ipſi aſſignavimus valor, fiet tandem operando ſecundùm præcepta artis, æquatio in B, in A, qu. – A cub. & E, cub. quæ dabit curvam in qua omnes E, cub. cubos applicatarum repræſentantes dabuntur.

Ex hac autem methodo non ſolùm dantur & inveniuntur quadrationes infinitæ, nondum Geometris cognitæ, ſed multæ etiam pariter infinitæ deteguntur curvæ, quarum quadraturæ ſupponendo ſimpliciores quadraturas, ut circuli, ut hyperbolæ, ut aliarum expediuntur. Exempli gratiâ, in æquatione circuli, in qua B, qu. – A, qu. æquatur E, qu. dantur quidem in rectilineis omnes applicatarum poteſtates, quarum exponentes ſignantur numero pari, ut omnia quadrata, omnia quadrato quadrata, omnes cubo cubi, &c. Sed poteſtates applicatarum, quarum exponentes ſignantur numero impari, ut omnes E, cubi, omnes E, quad. cubi, dantur tantùm in rectilineis ſupponendo ipſam circuli quadraturam, quod non eſt operoſum demonſtrare, & in praxim redigere, tam quam corollarium methodi precedentes.

Plerumque autem uſuvenit ut iterandæ, vel bis, vel etiam ſæpius ſint operationes ad inquirendam curæ propoſitæ dimenſionem.

Proponatur, exempli gratiâ, curva, ejus æquatio ſequens ſpeciem determinet B, cub. æqualis A, quad. in E, + B, qua in E.

Si dantur omnes E, ergo dantur omnia ſub rectâ datâ, (B, videlicet) in E, rectangula Rectangulum B, in E, invertendo ſuperiorem, de qua egimus in principio diſſertationis methodum, æquetur quadrato O, qu. Ergo $\frac{O, \text{ quad.}}{B}$ æquabitur E. Et ſubſtituendo in locum E, novum hunc ipſi aſſignatum valorem, fiet B, qu. qu. æquale A, Qu. in O, qu. + B, qu. in O, qu. Et hæc ſit prima operatio, quæ eſt inverſa ejus quam initio hujus diſſertationis præmiſimus, & quæ novam curvam exprimit, in quâ inquirendum reſtat an dentur omnia O, quad. Recurrendum igitur ad ſecundam methodum, cujus beneficio ex quadratis applicatarum latera novæ curvæ inquirimus.

Ponatur $\frac{B, \text{ in } V}{O}$, ex ſuperiore quam ſecundo loco exhibuimus methodo æquari A, & ſubſtituendo in locum A, ipſi jam aſſignatum ex noſtra methodo valorem fiet B, q, qu – B, qu. in O, qu. æquale B, qu. in V, quad. Et omnibus per B, quad. diviſis evadet tandem B, qu. – O, qu. æquale A, quad. quæ æquatio dat circulum. Et in eâ omnes V, dantur, ſupponendo quadraturam circuli. Recurrendo igitur ad priorem curvam, in quâ B, cub. ponitur æquari A, qu. in E, + B, qu. in E, patet ſpatium ab ea curva oriundum per quadraturam circuli poſſe quadrari, id quæ per duas curvas à priore diverſas analyſis noſtra breviter & facilè expedivit.

Hæc verò omnia, & ad inventionem rectarum curvis æqualium, & ad pleraque alia non ſatis hactenus indagata problemata inſervire ſtatim experiendo ἀγχίνυς analyſta deprehendet.

Sit in ſextâ figura parabole primaria A, B, C, cujus axis C B, applicata C D, æqualis axi C B, & recto lateri B V, fiantque B P, P L, L G, ſingulæ æquales axi C B, & ipſi ſic directum ſumatur in curva quodvis punctum, ut F, & datis infinitis B X, P S, L O, ipſi C D, parallelis, ducatur F X S O K, parallela axi occurrens rectis P S, L O, in punctis S, & O, & fiat ut ſumma rectarum F X, X S, ſivè ut tota F S, ad S O, ita S O, ad O K. Et ſumptis ſimiliter punctis D E, fiat ut D R, ad R N, ita R N, ad N I, & ut E Q, ad Q M, ita Q M, ad M H. Et intelligatur curva infinita per puncta G H I K, &c. incedens, cujus aſymptotos erit recta infinita L O. Curva hæc G H I K eſt ea cujus ſpecies à ſuperiori æquatione determinatur, in qua B, cub. æquatur A, qu. in E, + B, quad. in E, Aio itaque ex jam traditâ operationum analytica iteratione, ſpatium K I H G L M N O, in infinitum versùs puncta K O, extendendum, æquale eſſe circulo, cujus diameter eſt axis B C, Hanc verò quæſtionem ab erudito Geometra nobis propoſitam, ita ſtatim expedivimus.

Eâdem methodo ſpatium à Dioclæa comprehenſum quadravimus, vel ad circuli quadraturam reduximus.

Sed elegans inprimis operationum iteratio evadit, cum ab altioribus applicatarum poteſtatibus, ad depreſſiores, vel contra à depreſſioribus ad altiores analyſis ipſa tranſcurrit; cui methodo præſertim debeatur inquiſitio ſummæ applicatarum in quacumque curva propoſita, & multa alia problemata tetragoniſmica. Proponatur, verbi gratiâ, curva, cujus æquatio B, qu. – A, qu. æquale E, qu. quam ſtatim apparet eſſe circulum. Quæritur ſumma cuborum applicatarum, hoc eſt ſumma E, cuborum. Si dantur omnes E, cubi. Ergo per præcedentes, ſecundùm poteſtatis conditionem, methodos, ex ea curva poteſt alia ad baſim derivari, in quâ dabitur ſumma applicatarum. Ponatur igitur ex methodo $\frac{B, \text{ qu. in } O,}{E, \text{ qu.}}$ æquari A. Ergo ſubſtituendo in locum A, jam aſſignatum ipſi valorem, fiet ex methodo B, qu. in E, qu. qu. – E, cub.

cub. æquale B, qu. qu. in O, qu. quæ eſt æquatio curvæ, in qua omnes O, dantur ex ſuppoſitione quam fecimus in primâ curvâ, dari omnes E, cubos. Cum igitur in hac nova curva omnes O, dentur, ex ea derivetur tertia, in qua quærantur quadrata applicatarum, non verò cubi, ut in priore curvâ jam ſuppoſitum eſt. Fingatur igitur ex noſtra quæ in quadratis, ut jam ſupra diximus, uſurpatur methodo $\frac{E,\ in\ V,}{B}$ æquari O. Ergo B, qu. in E, qu. qu. – E, cub. cub. æquabitur B, qu. in E, qu. in V, quad. Et omnibus abs E, qu. diviſis fiet B, qu. in E, q. – E, qu. qu. æquale B, qu. in V, quad. Et in hac curva omnes E, quadrati dantur. Si igitur ex hac curva quæramus aliam in qua omnes applicatæ dentur, ponatur, ſi placet, E, quad. æquale B, in Y. Ergo in ultima hac æquatione B, in Y – Y quad. æquabitur V, qu. Et cùm in ſuperiore dentur omnes E, qu. dabuntur in iſta omnia rectangula B, in Y, ideoque omnes Y. Cum ergo omnes Y, dentur in hac ultima curva, quæ eſt circulus ut patet. Igitur eâ tantùm conditione dantur, ſi ſupponas dari circuli quadraturam. Regrediendo igitur ab hac ultimâ, in qua deſinit noſtra analyſis, curva, ad priorem, patet omnes applicatarum ad circulum cubos dari, ſupponendo circuli quadraturam. Idem de quadratocubis, de quadratoquadratocubis, & cæteris in infinitum gradus imparis poteſtatibus demonſtrare eſt in promptu. Sed multiplicatur numerus curvarum, prout altior eſt, de quâ inquirimus, poteſtas. Nec eſt difficilis ab analyſi ad ſyntheſim, & ad verum quadrandæ figuræ calculum regreſſus.

Sæpiùs autem contingit, & miraculi inſtar eſt per plurimas numero curvas incedendum & expatiandum eſſe analyſtæ, ut ad ſimplicem æquationis localis propoſitæ dimenſionem perveniatur.

Proponatur, exempli causâ $\frac{B^7\ in\ A - B^8}{A^6}$ æquari E, qu.

Cùm ſupponatur dari quadratura figuræ ex hac æquatione oriundæ; dabuntur omnes A. Ergo omnes B, in A, quæ ſi æques quadrato ignoto O, qu. dabuntur omnes O, qu. & A, æquabitur $\frac{O\,q}{B}$ ideoque fiet æqu. inter $\frac{B^{12}\ in\ O\ qu. - B^{14}}{O^{12}}$ & E, q. ex hac novâ curvâ, aliâ methodo, de quâ toties egimus, deducetur tertia, in quâ quia dantur omnes O, quadrati, ponatur $\frac{B\ in\ V,}{O}$ æquari E, ergo fiet æquatio inter $\frac{B^{10}\ in\ O\,q - B^{12}}{O^{10}}$ Et V, quadr. unde deducetur quarta curva, in qua dabuntur omnes O, ideoque omnes V. Si dantur omnes V. Ergo ex prima methodo dantur omnia ſub B, in V, rectangula. ſit B, in V, æquale Y, quadrato: ideoque $\frac{Y\ quad.}{B.}$ æquabitur V, fiet æquatio inter $\frac{B^{12}\ in\ O\ qu. - B^{14}}{O^{10}}$ & Y^4 unde orietur quinta curva in quâ dabuntur omnes Y, quadr. Ex illo ſolita methodo deducatur alia curva, & fiat $\frac{B\ in\ I,}{Y}$ æqualis O.

Omnibus ſecundùm præcepta analyſeos peractis fiet B^4 in Y^4 in I, quad. – B^4 in Y^6 æquale I^{10} unde orietur ſexta curva, in quâ dabuntur omnes I, ideoque omnes I. Ex eâ contrariâ quam jam ſæpius inculcavimus methodo quæratur alia curva in qua dentur quadrata applicatarum, & ſit $\frac{I\ in\ A,}{B}$ æqualis Y, (nihil enim vetat defectu vocalium, ad priores ſupra uſurpatas recurrere,) fiet B, qu. in $A^4 - A^6$ æquale

le B, qu. in I^4, unde orietur curva ſeptima, in qua omnia I, quadrata dabuntur. Reducantur ad latera, notâ & ſæpius iteratâ ſuperiùs methodo, & fiat I, quadratum æquale B, in E. Ergò omnia B, in E, dabuntur Et inde deducetur octava curva, in qua B qu. in $A^4 - A^6$ æquabitur B^4 in E qu. in eâque dabuntur omnes E; ideoque omnes A. Ex ea deducatur alia curva, in qua dentur quadrata applicatarum, & ex methodo ponatur $\frac{A\ in\ O,}{B}$ æquari E. Ergo B. qu. in $A^4 - A^6$ æquabitur B, qu. in A qu. in O qu. Et omnibus abs A qu. diviſis, fiet æquatio inter B qu. in A q. – A^4. Et B q. in O q. in qua omnia A, qu. dabuntur, Et erit nona curva ab ea æquatione determinata. Cum igitur in eâ omnia A quadrata dentur, deducatur ex eâ alia tandem curva, in qua dentur latera, & ſit A qu. æquale B in V, fiet B in V – V quad. æquale O, qu. quæ ultima æqualitas dabit decimam curvam, in qua omnes V dabuntur. At hæc ultima curva, eſt circulus, ut patet, & in ea omnes V, non dantur, niſi ſuppoſitâ circuli quadraturâ. Ergo recurrendo ad primam curuæ propoſitæ conſtitutionem, dabitur illius quadratura, ſupponendo ipſam ultimæ iſtius curvæ, ſive circuli quadraturam. Beneficio igitur decem curvarum inter ſe diverſarum ad notitiam prioris pervenimus.

NOVVS SECVNDARVM ET VLTERIORIS ORDINIS RADICVM IN ANALYTICIS USUS.

REDUCTIO ſecundarum, & ulterioris ordinis radicum, ad primas, quæ maximi eſt in Algebricis momenti, unicam pro fundamento agnoſcit duplicatæ æqualitatis analogiam, eamque, quoties opus fuerit, iterandam progreſſus ipſe quæſtionis oſtendit.

Proponatur A, cubus + E, cubo æquari Z, ſolido. Item B, in A, + E q. + D, in E, æquari N, quad. ut ſecunda radix devolvatur ad primam. Hæc ſunto præcepta.

Quæcumque à ſecunda radice adficientur homogenea in unam æquationis partem tranſeunto, ut in ſuperiori exemplo, cum A c. + E c. æquetur Z, ſol. Ergò Z, S. – A c. æquabitur E c.

Similiter cum B in A, + E q. + D, in E, æquetur N q. Ergo N q. – B, in A, æquabitur E q. + D, in E.

In utraque igitur æquatione homogenea ab E, ſive ab ſecunda radice adfecta, unam æquationis partem conſtituunt.

Si igitur duplicata ejuſmodi æqualitas ad analogiam revocetur, erit ut

Z, S, – A c. ad E c.

Ita N q. – B, in A, ad E q. + D, in E.

Cum itaque factum ſub extremis comparabitur facto ſub mediis, tanquam ipſi æquale, omnia homogenea diviſionem admittent per E, ſive per ſecundam radicem, ut patet: quia ſecundus & quartus terminus ab E, adficiuntur.

Erit nempe + Z S, in E q, – A c, in E q, + Z S, in D in E, – A c, in D in E, æquale N q, in E c, – B in A, in E c.

Omnia dividantur toties per E, donec aliquod ex homogeneis adfectione ſub E, omnino liberetur.

Erit Z S, in E, – A c, in E, + Z S, in D, – A c, in D.

æquale N q, in E q, – B in A, in E q.

Quo peracto, nova hæc æquatio, uno ad minus gradu depreſſior erit (quoad ſecundam radicem) quàm elatior ex duabus primùm propoſitis.

Patet nempe elatiorem ex duabus primùm propoſitis affici ſub cubo E, Iſtius verò nullam abs E, adfectionem excedere E q.

Nec tamen ſic quieſcendum, ſed iteranda duplicatæ æqualitatis analogia, donec adfectio ſecundæ radicis fiat tantùm ſub latere, ut aſymmetria omnis evaneſcat.

Præparetur itaque ultima hæc æquatio juxta modum præſcriptum, & homogenea ſub E, quomodocumque affecta unam æquationis partem faciant.

Erit itaque Z S, in D – A c in D, æquale N q, in E q, – B, in A, in E q, – Z S, in E + A c, in E.

Sed ex duabus primùm propoſitis, quæ depreſſior eſt, exhibet æquationem ſequentem ut diximus.

N q, – B, in A.

æquale E q, + D, in E.

Revocetur rurſum ad analogiam duplicata iſta æqualitas.

Erit itaque

Z S, in D, – A c, in D, ad

N q, in E q, – B, in A, in E q, – Z S, in E + A c, in E.

ut N q, – B, in A, ad

E q, + D, in E.

Cum itaque factum ſub extremis æquabitur facto ſub mediis, tamquam ipſi æquale, omnia homogenea poterunt dividi per E, ut ſupra demonſtratum eſt. Erit nempe

Z S, in D, in E q, + Z S, in D q, in E, – A c, in D, in E q, – A c, in D q, in E.

æquale

N qq, in E q, – N q, – in B, in A, in E q, – N q, in Z S, in E + N q, in A c, in E, – B, in A, in N q, in E q, + B q, in A q, in E q, + B, in Z S, in A, in E, – B, in A q q, in E.

Et omnibus abs E, diviſis, fiet tandem Z S, in D, in E, + Z S, in D q, – A c, in D, in E – A c in D q.

æquale

N qq, in E – N q, in B, in A – in E – N q, in Z S, + N q, in A c. – B, in A, in N q, in E, + B q, in A q, in E, + B, in Z S, in A – B in A qq.

Quo peracto, nova hæc æquatio unius adhuc gradus depreſſionem (quoad ſecundam radicem) lucrata eſt, ut hic patet. Cum enim homogenea ſub E, adfecta in unam æquationis partem tranſierint.

Fiet Z S, in D q, – A c in D q + N q, in Z S – N q, in A c – B in Z S, in A + B in A qq.

æquale N qq, in E – N q, in B, in A, in E – B, in A, in N q, in E, + B q, in A q, in E – Z S, in D, in E, + A c, in D, in E.

Neque ùlteriùs progrediendum, cum jam ſecunda radix ſub latere tantùm appareat; ideoque ſolo applicationis beneficio ipſius E, relatio ad primam radicem manifeſtabitur. Vt hic,

Z S, in D q, – A c in D q, + N q, in Z S, – N q, in A c – B, in Z S, in A + B, in A qq.

N qq – N q, in B, in A – N q, in B, in A + B q, in A q, – Z S, in D + A c, in D.

æquabitur E, quò tendendum erat.

Ut igitur duæ primùm propoſitæ radices in unam tranſeant, reſumatur ex duabus prioribus æquationibus quam volueris: depreſſior tamen idonea magis, ne altiùs aſcendat æquatio.

Cum itaque in una ex æquationibus primùm propoſitis B, in A + E q + D, in E, æquetur N q, loco ipſius E, ſubrogetur jam agnitus ejus valor per relationem, vel ad terminos cognitos vel ad priorem radicem, quæ in exemplo propoſito eſt A. Et rurſum ſub hac nova ſpecie ordinetur æquatio; manifeſtum eſt evanuiſſe omnino ſecundam radicem, & in æquationem ab omni aſymmetria liberam itum eſſe, methodumque eſſe generalem. Si enim plures duobus terminis proponantur incogniti, methodus iterata tertias. Si opus fuerit, radices ad primas & ſecundas; deinde ſecundas ad primas, &c. eodem prorſus artificio reducet.

APPENDIX

Ad ſuperiorem methodum.

SUPERIORI methodo debetur perfecta & abſoluta aſymmetriarum in Algebricis expurgatio. Neque enim ſymmetrica climatiſmus Vietæa, quæ unicum hactenus ad aſymmetrias fuit remedium, efficax ſatis & ſufficiens inventa eſt.

Proponatur quippe latus cubicum (B, in A qu. – A cub. + lat. quad. (A q, + 2. in A) + latus quad. quad. D, cub. in A – A, qu. qu.) + latus quad. (G, in A, – A q,) æquari rectæ N.

Qua ratione ab aſymmetriis hujuſmodi extricabit ſe & quæſtionem ſuam Analyſta Vietæus? An non potiùs dum creſcet labor, creſcet difficultas? Et tandem fatigatus & deluſus novum ab analytice lumen expoſcet?

Hoc ſanè luculenter ſuperior methodus ſubminiſtrat: Vnicum exemplum, idque breviſſimum, adjungimus. Recluſo enim ſemel fundamento, cætera apertiſſimè manifeſtantur.

Proponatur lat. cub. (2. in A qu. – A, cub.) – L, cub. (Ac + B q, in A) æquari D.

Ita primum ordinetur æquatio, ut unica ex aſymmetriis unam illius partem faciat.

Fiat nempe D – lat. cub. (Ac + B q, in A) æqualis lat. cub. (2. in A q – A cub.)

Hoc peracto omnes termini aſymmetri à ſecundis & ulterioribus, ſi opus fuerit, radicibus denominentur, excepto eo, quem unicum in unam æquationis partem rejecimus.

Fingatur, verbi gratiâ, lat. cub. (A cub. + B q, in A) eſſe E.

Hac enim viâ ad eam quam injungit ſuperior methodus, duplicatæ æqualitatis analogiam deveniemus.

Erit nempe D – E, æqualis lat. cub. (2. in A q, – Ac,) & omnibus in cubum ductis. D, cubus + D, in E qu. ter – D q, in E, ter – E c. æquabitur 2. in A q – Ac.

Sed ex hypotheſi E, cubus æquatur A, cubò + B, qu. in A.

Ergo oritur duplicata æqualitas, & in utraque (juxta methodum) termini abs ſecunda radice adfecti, in unam æquationis partem ſunt conjiciendi. Erit nempe.

2. in A q – Ac – D c, æqualis D, in E q, ter – D q, in E, ter – Ec.

Item A, cub. + B^2 in A, æqualis E, cub.

Iteretur toties operatio, donec ſecunda radiæ ad primam revocetur. Quo peracto, loco ipſius E, novus ipſius valor uſurpetur, & ſub hac nova ſpecie quævis ex prioribus æqualitatibus ordinetur, omnia conſtabunt.

Nec inutilia adjungo, aut moror in ſuperfluis. Quis enim non videt ſingulos terminos aſymmetros poſſe eadem ratione, ſi non ſufficiant ſecudæ radices, tertiis, quartis, &c. in infinitum inſigniri? Quo caſu quartam, ſive ultimam radicem tamquam ſecundam conſiderabis. Reliquas verò tantiſper, vel pro primis, vel pro terminis cognitis habebis, donec ultima illa omnino evanuerit, ſive ad primas, ſecundas & tertias reducta fuerint. Simili prorſus artificio tertias reduces ad ſecundas & primas, ac denique ſecundas ad primas, ut jam ſæpius inculcavimus.

Nulla eſt ergo aſymmetria quam non cogat exulare hæc methodus, cujus uſus præſertim eximius, imò & neceſſarius innumeroſa poteſtatum reſolutione. Statim enim nempe atque aſymmetriæ evanuerint, non deerit Vietæum in arithmeticis quæſtionibus artificium: & ſi veris explicari numeris quæſtio non poſſit, proximæ, quantumvis libuerit, ſuppetent ſolutiones. Cum tamen proximas veris ſolutiones, nullo pacto, quandiu duraverint aſymmetriæ, conſequi poſſis.

Sed & ulteriùs inquirenti obtulit ſe mira ad locorum ſuperficialium plenam & perfectam notitiam exinde derivanda methodus, quæ & ijs problematis inſervit, in quibus dantur ab initio plura quam requirat ipſa problematis conſtruendi determinatio.

Quod ut clariùs intelligas, ſunt quædam problemata quæ unicam tantùm agnoſcunt poſitionem ignotam, quæ vocari poſſunt determinata, ad differentiam inter ipſa & problemata localia conſtituendam. Sunt alia quædam quæ duas poſitiones ignotas habent, & ad unicam tantùm numquam poſſunt reduci; ea problemata ſunt localia. In prioribus illis unicum tantum punctum inquirimus; in iſtis lineam. Sed ſi problema propoſitum tres ignotas poſitiones admittat, problema hujuſmodi non jam punctum dumtaxat, aut lineam tantùm, ſed integram ſuperficiem quæſtioni idoneam inveſtigat. indeque oriuntur loci ad ſuperficiem, &c. in reliquis.

Sicut autem in prioribus data ipſa ſufficiunt ad determinationem quæſtionis, ita in ſecundis unum datum deeſt ad determinationem; in tertiis verò duo tantùm data determinationem poſſunt complere. At contrà poteſt fieri ut quemadmodum in his caſibus data aut ſufficiant aut deſint: ita in pleriſque aliis data ipſa ſuperflua ſint & abundent. Exemplo res fiet evidens.



In recta A C, datâ, datur rectangulum A B C. Datur etiam differentia quadratorum A B, & B C.

In hoc caſu plura patet offerri data quàm determinatio, ideoque ſolutio ipſius quæſtionis expoſcat.

Frequentiſſimus tamen horum problematum, in phyſicis præſertim & apud artifices eſt uſus, eaque omnia per applicationem ſimplicem beneficio noſtræ methodi expediuntur; neque recurrendum ad extractionem radicum, licèt æquationes ad quaſvis poteſtates aſcendant.

Proponatur, verbi gratiâ in quadam quæſtione A, cub. + B, qu. in A, æquari 2. qu. in D.

Item etiam (cum ex hypotheſi quæſtio ſupponatur eſſe abundans: has enim quæſtiones abundantes, ſicut locales deficientes appellare conſuevimus) G, ſol. in A – A q q, æquari B, qu. in N, pl. Duplicata hæc æqualitas ad analogiam revocetur, & ex præſcripta methodo conſideretur unica noſtra radix ignota, quæ in hoc exemplo eſt A, ſicut in præcedentibus ſecundam, aut ulterioris ordinis radicem conſideravimus, & toties juxta methodum iteretur operatio, donec adfectio ſub A, per ſimplicem applicationem poſſit expediri, ſive non tam ad primas radices, quàm ad terminos omnino notos reduci. Patebit ſolutio problematis ſimpliciſſima, nec analyſtam deinceps æquationes quadraticæ, &c. remorabuntur.

Lubet & coronidis loco, famoſi illius problematis:

Datis ellipſi & puncto extra ipſius planum, ſuperficiem conicam, cujus vertex ſit punctum datum, & baſis ellipſis data, ita plano ſecare, ut ſectio ſit circulus.

Solutionem quæ huic methodo debetur, indicare, eamque ſimpliciſſimam.

Eò deducunt quæſtionem Geometræ, ut ſumptis quinque punctis ad libitum in ellipſi, & junctis rectis à vertice conicæ ſuperficiei ad puncta illa per junctas quinque rectas circulum deſcribant. Inveniuntque problema hoc pacto eſſe ſolidum. Sed cum puncta in ellipſi ſint infinita, ſi loco quinque punctorum ſumantur ſex, fiet problema abundans, & orietur neceſſariò duplicata æqualitas, quæ tandem ignotam quantitatem per ſimplicem applicationem patefaciet.

Eadem ratione ſi detur quæcumque linea curva in plano, aut etiam ſuperficies localis, cujuſcumque tandem gradus ſint, invenientur diametri & axes figurarum; imo & in ſuperficie locali exhibebuntur omnes omnino curvæ loci ſuperfieialis conſtitutivæ, &c.

Exponatur, verbi gratiâ, ſuperficies conica, cujus vertex ſit punctum datum, baſis verò, parabole aut ellipſis cubica, aut quadratoquadratica, aut ulterioris in infinitum gradus.

Poteſt hujuſmodi ſuperficies conica, beneficio iſtius methodi ita ſecari, ut in ea exhibeatur quælibet curva, quæ ex conſtitutione figuræ in ea ſuperficie poteſt deſcribi, & problematis ſolutio ſemper evadet ſimpliciſſima.

Nihil addimus de tangentibus curvarum, & pleriſque aliis hujus methodi uſibus: fient quippe obvii, nec ſedulam indagatoris analytici meditationem effugient.

METHODUS

Ad diſquirendam maximam & minimam.

OMNIS de inventione maximæ & minimæ doctrina, duabus poſitionibus ignotis innititur, & hac unica præceptione; ſtatuatur quilibet quæſtionis terminus eſſe A, ſive planum, ſive ſolidum, aut longitudo; prout propoſito ſatisfieri par eſt, & inventa maxima aut minima in terminis ſub A, gradu ut libet inuolutis; Ponatur rurſus idem qui prius eſſe terminus A, + E, iterumque inveniatur maxima aut minima in terminis ſub A & E, gradibus ut libet coefficientibus. Adæquentur, ut loquitur Diophantus, duo homogenea maximæ aut minimæ æqualia & demptis communibus (quo peracto homogenea omnia ex parte alterutra ab E, vel ipſius gradibus afficiuntur) applicentur omnia ad E, vel ad elatiorem ipſius gradum, donec aliquod ex homogeneis, ex parte utravis affectione ſub E, omnino liberetur.

Elidantur deinde utrimque homogenea ſub E, aut ipſius gradibus quomodolibet involuta & reliqua æquentur. Aut ſi ex unâ parte nihil ſupereſt æquentur ſane, quod eodem recidit, negata adfirmatis. Reſolutio ultimæ iſtius æqualitatis dabit valorem A, quâ cognita, maxima aut minima ex repetitis prioris reſolutionis veſtigiis innoteſcet.

Exemplum ſubijcimus

Sit recta A C, ita dividenda in E, ut rectang A E C, ſit maximum; Recta A C, dicatur B.

A E C

ponatur par altera B, eſſe A, ergo reliqua erit B − A, & rectang. ſub ſegmentis erit B, in A − A^2 quod debet inueniri maximum. Ponatur rurſus pars altera ipſius B, eſſe A, + E, ergò reliqua erit B − A − E, & rectang. ſub ſegmentis erit B, in A, − A^2 + B, in E, ^{2}E in A, − E, quod debet adæquari ſuperiori rectang. B, in A, − A^2, demptis communibus B, in E, adæquabitur A, in E'' + E^2, & omnibus per E, diviſis B, adæquabitur ^{2}A + E, elidatur E, B, æquabitur ^{2}A, igitur B, biſariam eſt dividenda, ad ſolutionem propoſiti, nec poteſt generalior dari methodus.

De Tangentibus linearum curvarum.

AD ſuperiorem methodum inventionem Tangentium ad data puncta in lineis quibuſcumque curvis reducimus.



Sit data, verbi gratià, Parabole B D N, cujus vertex D, diameter D C, & punctum in ea datum B, ad quod ducenda eſt recta B E, tangens parabolen, & in puncto E, cum diametro concurrens, ergo ſumendo quodlibet punctum O I, in recta B E, & ab eo ducendo ordinatam O I, à puncto autem B, ordinatam B C major erit proportio C D, ad D I, quàm quadrati B C, ad quadratum O I, quia punctum O, eſt extra parabolen, ſed propter ſimilitudinem triangulorum, ut B C, quad. ad O I, quad. ita C E, quad. ad I E, quad. Major igitur erit proportio C D ad D I, quàm quadrati C E ad quad. I E, Cum autem punctum B detur, datur applicata B C, ergo punctum C datur etiam C D, Sit igitur C D, æqualis D, datæ. Ponatur C E, eſſe A, ponatur C I eſſe E, ergo D, aut D − E habebit majorem rationem, quàm A^2 ad $A^2 + E^2 - A$, in E. Et ducendo inter ſe medias & extremas D in A^2 + D in E^2 − D in A in E, majus erit quàm D, in A^2 − A^2 in E, Adæquentur igitur juxta ſuperiorem methodum, demptis itaque communibus D, in E^2 − D, in A in E adæquabitur − A^2 in E, aut quod idem eſt, D in E^2, + A^2 in E, adæquabitur D in A in E, Omnia dividantur per E, ergo D in E + A^2 adæquabitur D in A, elidatur D in E, ergo A^2 æquabitur D in A^2, ideoque A æquabitur D, ergo C E, probavimus duplam ipſius C D, quod quidem ita ſe habet.

Nec unquam fallit methodus, imò ad pleraſque quæſtiones pulcherrimas poteſt extendi, ejus enim beneficio centra gravitatis in figuris lineis curvis & rectis comprehenſis, & in ſolidis invenimus, & multa alia, de quibus fortaſſe aliàs, ſi otium ſuppetat. De quadraturis ſpatiorum ſub lineis curvis & rectis contentorum, imò & de proportione ſolidorum ab eis ortorum ad conos ejuſdem baſis & altitudinis, fusè cum Domino de Roberval egimus.

Centrum

Centrum gravitatis, parabolici conoidis, ex eadem methodo.



ESTO parabolicus Conois C B A V, cujus axis I A, baſis, circulus circa diametrum C I V, quæritur centrum gravitatis perpetuâ & conſtanti, quâ maximam, & minimam & tangentes linearum curvarum inveſtigavimus methodo, ut novis exemplis & novo uſu, eoque illuſtri, pateat falli eos qui fallere methodum exiſtimant.

Ut poſſit parari analyſis, axis I A, dicatur B, ponatur centrum gravitatis eſſe O, & rectam A O, ignotam, dici A, ſecetur axis I A, quovis plano ut B N, & ponatur I N, eſſe E, ergò N A, erit B − E, conſtat in hac figura & ſimilibus (parabolis aut parabolicis) centra gravitatum in portionibus abſciſſis, per parallelas baſi in eadem proportione dividere axes (quod in parabola ab Archimede demonſtratum porrigitur, non diſſimili ratiocinio ad parabolas omnes, & parabolicos conoides, ut patet) ergo centrum gravitatis portionis cujus axis N A, baſis ſemidiameter B N, ita dividet A N, in puncto, verbi gratia, E, ut ratio N A, ad A E, ſit eadem rationi I A, ad A O, erit igitur in notis ut B, ad A, ita B − E, ad portionem axis A E, quæ idcirco æquabitur $\frac{B \text{ in } A - A \text{ in } E}{B}$, & ipſa O E, quæ eſt intervallum inter duo centra gravitatis æquabitur $\frac{A \text{ in } E}{B}$, ponatur portionis reliquæ C B R V, centrum gravitatis eſſe M, quod neceſſariò debet eſſe inter puncta N, & intra figuram per pet. 9. Archimed. de æquipond. cum figura C B R V, ſit in eaſdem partes cavas, ſed ut portio C B R V, ad portionem B A R, ita eſt E O, ad O M, cum O, ſit centrum gravitatis totius figuræ C A V, & puncta E, & M, ſint centra gravitatis partium, Portio autem C A V, ad portionem B A R, eſt in noſtro conoide Archimedæo ut quadratum I A, ad quadratum N A, hoc eſt in notis ut b^2 ad $B^2 + E^2 - B$ in E″, ergo dividendo portio C B R V, eſt ad portionem B A R, ut B in E″ − E^2 B in E″, demonſtrauimus autem ut portio C B R V, ad portionem B A R, ita eſſe O E, ad O M, erit igitur in notis ut B in E^2 − ad $B^2 + E^2 + E^2$ E B, in E″ ita O E, ſive $\frac{A \text{ in } E}{B}$, ad O M, quæ proinde applicabitur $\frac{B^2 \text{ in } A \text{ in } E'' + A \text{ in } E^3 - B \text{ in } A, \text{ in } {}^2E^2}{B^2 \text{ in } E'' - B \text{ in } {}^2B}$

Cum autem punctum M, ex demonſtratis, ſit inter puncta N, & I, ergo recta

I

O M, erit minor rectâ OI recta autem O I, in notis est B − A, deducta est igitur quæstio ad methodum, & adæquanda B − A cum $\frac{B^2 \text{ in } A, \text{ in } E, + A \text{ in } E^3 - B \text{ in } A \text{ in } {}^2E^2}{B^2 \text{ in } E - B \text{ in } E^2}$.

Et omnibus ductis in denominatorem & abs E divisis adæquabuntur $^2B^3 - B^2$ in $^2A - B^2$ in E − B in A in E, & B^2 in A + E^3 − B in A in ^2E, quandoquidem nihil est utrimque commune elidantur homogenea omnia ab E, adfecta, & æquentur reliqua, fiet $^2B^3 - B^2$ in ^2A æqualis B^2 in A, ideoque ^3A æquabitur ^2B. Erit igitur I A, ad A O, ut 3. ad 2. & A O, ad O I, ut 2, ad 1, quod erat inveniendum. Non dissimili methodo in quibuslibet parabolis in infinitum, & parabolicis conoidibus inveniuntur centra gravitatum.

Quemadmodum autem, verbi gratia, in nostro conoide parabolico circa applicatam axi converso indaganda sint centra gravitatis, non vacat in præsens judicare, sufficit aperuisse me in hoc nostro conoide centrum gravitatis dividere axem in portiones quæ servant proportionem 11. ad. 51.

Ad eamdem methodum.

VOLO mea methodo secare lineam A C datam ad punctum B, ita ut solidum contentum sub quadrato A B, & linea B C sit maximum omnium solidorum eodem modo descriptorum secando lineam A C, in quovis alio puncto.

Ponamus in notis Algebricis lineam A C, vocari B, & lineam A B, incognitam A, B C, erit B − A; oportet igitur solidum A^2 in B − A, satisfacere quæstioni.

Sumamus iterum loco A, A + E, solidum quod fiet ex quad. A + E, & ex B E A, erit B in A^2, + B in E^2 + B in A in $^2E - A^3$ − A in $^3E^2 - A^2$ in ^3E.

Id comparo primò solido A^2 in B − A^3, tamquam essent æqualia, licèt reverà æqualia non sint, & hujusmodi comparationem vocavi adæqualitatem, ut loquitur Diophantus, sic enim interpretari possum græcam vocem παρισότης qua ille utitur, deinde è duobus solidis demo quod iis est commune scilicet B^2, in A − A^3, quo peracto nihil ex unâ parte superest, & superest ex alia B in E^2 + B in A in $^2E - A^2$ in $^3E^2 - A^2$ in $^3E - E^3$, Comparanda sunt ergo homogenea notata signo + cum ijs quæ notantur signo −, & iterare comparationem adæqualitatem oportet inter B in E + B, in A, in ^2E, ex unâ parte, & A, in $^3E^2 + A^2$ in $^3E + E^3$ ex altera totum dividamus per E. Comparatio adæqualitas, erit inter B, in E + B, in ^2A, & A, in $^3E + {}^3A^2 + E^2$.

Hac divisione peracta si omnia homogenea dividi possunt per E, iteranda erit divisio per E, donec reperiatur aliquod ex homogeneis quod hujusmodi divisionem non admittat, id est, ut Vietæis verbis utar, quod non afficiatur ab E, sed quia in exemplo proposito comperimus divisionem iterari non posse, hîc standum est. Deinde utrimque deleo homogenea, quæ afficiuntur ab E, superest ex unâ parte B, in ^2A, & ex alia $^3A^2$, inter quæ non amplius facere oportet æquationes, ut antea, comparationes fictas & adæqualitates, sed veram æquationem. Dividamus totum per A, ergo ^2B, erit æquale ^3A, & B, erit ad A, ut 3 ad 2. Redeamus ad nostram quæstionem, & dividamus A C, in puncto B, ita ut A C, sit ad A B, ut 3 ad 2 dico solidum quadrati A B, in B C, esse maximum omnium quæ describi possunt in eadem linea C, in qualibet alia sectione.

Ut pateat hujus methodi certitudo, desumam exemplum è libro Apollonij de determinata sectione, qui ut reffert Pappus initio septimi libri, difficiles determinationes habebat, & eam quæ sequitur difficillimam esse existimo, quam ut ut inventam supponit Pappus septimo libro, nec enim illam veram esse demonstrat, sed ut veram supponens, alias inde consequentias deducit. Hoc loco Pappus vocat minimam proportionem μοναχὸν καὶ ἐλάχιστον minimam & singularem, ideò scilicèt, quia si proponatur quæstio circa magnitudines datas duobus semper locis satisfit quæstioni; sed in minimo aut maximo termino unicus est qui satisfaciat locus, idcirco Pappus vocat minimam & singularem, id est unicam quæstionem omnium quæ proponi possunt minimam. Commandinus hoc loco dubitat, quid per μοναχὸς intelligat Pappus, & veritatem quam modo explicui ignoravit; sed ecce propositionem. Sit recta data O MID, & in ea quatuor puncta O MID,

data, dividenda est portio M I, in puncto N, Ita ut rectanguli O N D, sit ad rectangulum M N I, proportio minor, quàm proportio cujuslibet rectanguli paris O N D, ad quodvis aliud par M N I, supponamus in notis lineam O M, datam vocari B, lineam D M, datam Z, & M I, datam G, fingamus nunc M N, quod quærimus vocari A, ergo rectangulum O N D, in notis B, in Z − B, in A + Z, in A − A^2 & rectangulum M N I, erit G, in A − A^2, oportet igitur proportionem B, in Z − B + Z, in A − A^2 ad G, in A − A^2 esse minimam omnium quæ fieri possunt qualibet alia divisione lineæ M I, sumamus iterùm loco A, A + E, & habebimus proportionem B, in Z − B, in A − B, in E + Z, in A + Z in E − $A^2 - E^2$ − A, in ^2E, ad G, in A + G, in E − $A^2 - E^2$ − A, in ^2E, quam primæ comparare per adæqualitatem oportebit, id est multiplicare primum terminum per quartum ex una parte, & secundum per tertium ex alia, & simul hæc duo producta comparare, productum B, in Z − B, in A + Z, in A − A^2 qui prior est terminus per G, in A, + G, in E − $A^2 - E^2$ − A, in ^2E, qui est ultimus terminus, facit B, in Z, in G, in A − G, in B, in A^2 + G, in Z, in A^2 − G, in A^3 + B in Z in G in E − B in A in G in E + Z in A in G in E − A^2 in G in E − B in Z in A^2 + B in A^3 − Z in A^3 + A^4 − B in Z, in E^2 + B in A in E^2 − Z in A in E^2 + A^2 in E^2 − B in Z in A in ^2E + B in A^2 in ^2E − Z in A^2 in ^2E − Z in A^2 in ^2E + A^3 in ^2E.

Productum autem G in A − A^2 secundi termini per B in Z − B in A − B in E + Z in A + Z in E − $A^2 - E^2$ − A in ^2E tertium terminum facit B in Z in G in A − G in B in A^2 − G in B in A in E + G in Z in A^2 + G in Z in A in E − G in A^3 − G in A in E^2 − G in A^2 in ^2E − B in Z in A^2 + B in A^3 + B in A^2 in E − Z in A^3 − Z in A^2 in E + A^4 + A^2 in E^2 + A^3 in ^2E.

Comparo hæc duo producta per adæqualitatem, demamus quod ipsis commune est & residuum dividamus per E, supererit ex una parte B in Z in G − A^2 in G − B in Z in E + B in A in E − Z in A in E − B in Z in ^2A − Z in $^2A^2$ − B in $^2A^2$, & ex alia G in A in E − G in $^2A^2$ + B in A^2 − Z in A^2.

Deleamus omnia homogenea inter quæ iterum reperitur E, supererit,

B in Z in G − A^2 in G − B in Z in ^2A − Z in $^2A^2$ + B in $^2A^2$ æquale.

− G in $^2A^2$ + B in A^2 − Z in A^2.

Et transponendo.

− B in A^2 + Z in A^2 − G in A^2 + B in Z in ^2A erit æquale B in Z in G.

Istius æquationis resolutione reperiemus valorem lineæ A, id est valorem M N, & consequenter punct. N & inveniemus veritatem propositionis Pappi qui docet ad reperiendum punctum N, oportere facere ut rectangulum O N D ad rectangulum O I D, ita quadratum M N ad quadratum N I, æquationis enim resolutio nos ad eamdem constructionem deducit.

Ut tandem tangentibus applicetur hæc methodus ſic procedere poſſum.

Sit, verbi gratiâ, Ellipſis Z D N, cujus axis ſit Z N, & centrum R, ſumamus punctum ut D, in ejus circumferentia à quo ducamus lineam D M quæ tangat Ellipſim, ducamus præterea applicatam D O, & ſupponamus notis Algebricis O Z datam vocari B & O N datam vocari G, fingamus O M quam quærimus incognitam vocari A, intel-



ligimus autem per O M portionem Axis contentam inter punctum V ſumptum ad libitum, inter punctum O & concurſum tangentis.

Quoniam D M tangit Ellipſim ſi ducamus lineam I E V parallelam D O per punctum V ſumptùm ad libitum inter O & N, certum eſt lineâ I E V ſecari tangentem D N, & Ellipſim quoque ut in punctis E & I, & quia linea D M tangit Ellipſim omnia puncta præter D erunt extra Ellipſim, ergo linea I V, erit major lineâ E V. Erit igitur major proportio quadrati D O ad quadratum E V quàm quad. D O ad quad. I V, ſed ut quad. D O ad quad. E V ita proprietate Ellipſis rectang. Z O N eſt ad rectang. Z V N, & ut quad. D O ad quad. I V ita quad. O M ad quad. V M, major eſt igitur proportio rectang. Z O N ad rectang. Z V N quam quad. O M ad quad. V M. Fingamus ſumptam ad libitum æqualem E, rectang. Z O N erit B in G, rectang. Z V N erit B in G $-$ B in E $+$ G in E $-$ E^2 quad. O M erit A^2 quad. V M $A^2 + E^2 -$ A in ${}^2E$.

Erit igitur major proportio B in G ad B in G $-$ B in E $+$ G in E $-$ E^2 quam A^2 ad $A^2 - E^2 -$ A in ${}^2E$. Et conſequenter ſi multiplicetur prior terminus per ultimum & ſecundus per tertium B in G in A^2 $+$ B in G in E^2 $-$ B in G in A in ${}^2E$, productum ſcilicet prioris termini per ultimum, erit majus B in G in A^2 $-$ B in E in A^2 $+$ G in E in $A^2 - A^2$ in E^2.

Oportet igitur juxta meam methodum comparare hæc duo producta per adæqualitatem; demamus quod iis commune eſt & dividamus reſiduum per E, ſupererit ex unâ parte,

B in G in E $-$ B in G in ${}^2A$, & ex alia,

$-$ B in A^2 $+$ G in A^2 $-$ A^2 in E Deleamus homog, quæ aliquid habent lineæ E, ſupererit ex una parte,

$-$ B in ${}^2A$, & ex alia $-$ B in A^2 $+$ G in A^2.

Quos duos terminos juxta methodum æquare oportet & tranſponendo terminos ut par eſt, inveniemus B in A $-$ G in A, æquale B in ${}^2G$. Vides hanc reſolutionem eam-

dem eſſe cum Apolloniana, nam meâ conſtructione ad reperiendam tangentem oportet facere ut B $-$ G ad G ita ${}^2B$ ad A, id eſt ut Z O $-$ O N ad O. N, ita ${}^2Z$ O ad O N, ſed Apollonianâ oportet facere ut Z O ad O N, ita Z M ad M N. Duæ autem illæ conſtructiones ut patet in idem recidunt; plura poſſem alia exempla addere, tum primi tum ſecundi caſus meæ methodi, ſed hæc ſufficiunt, & eam eſſe generalem ac numquam fallere ſatis probant. Demonſtrationem regulæ non adjicio nec pleroſque alios uſus qui illius perfectionem confirmare poſſent, nec inventionem centrorum gravitatis aſymptotωn quorum exemplum miſi doctiſſimo D. de Roberval.

Ad eamdem Methodum.

DOctrinam tangentium antecedit jamdudum tradita Methodus de inventione maximæ & minimæ, cujus beneficio terminantur quæſtiones omnes dioriſticæ, & famoſa illa problemata quæ apud Pappum in Præf. lib. 7. difficiles determinationes habere dicuntur, facillimè determinantur.

Lineæ curvæ, in quibus tangentes, inquirimus, proprietates ſuas ſpecificas vel per lineas rectas tantùm abſolvunt, vel per curvas, rectis aut alijs curvis quomodolibet implicatas.

Priori caſui jam ſatisfactum eſt præcepto, quod quia conciſum nimis, difficile ſanè, ſed tamen ſufficiens tandem repertum eſt.

Conſideramus nempe in plano cujuſlibet curvæ rectas duas poſitione datas, quarum altera diameter, ſi libeat, altera applicata nuncupetur. Deinde jam inventam tangentem ſupponentes ad datum in curva punctum, proprietatem ſpecificam curvæ, non in curva ampliùs, ſed in invenienda tangente, per æqualitatem conſideramus, & eliſis, quæ monet doctrina de maxima & minima, homogeneis fit demum æqualitas, quæ punctum concurſus tangentis cum diametro determinat, ideóque ipſam tangentem.

Exemplis, quæ olim multiplicia dedimus, addatur, ſi placet, tangens ciſſoidis, cujus Diocles traditur inventor.



Esto circulus duabus diametris A G, B I, normaliter sectis, & sit cissois I H G, in qua sumpto quolibet puncto, ut H, ducenda est à puncto H, tangens ad cissoidem, sit factum, & ducta tangens H F, secet rectam C G, in F, ponatur recta D F, esse A, & sumpto quolibet puncto inter D, & F, ut E, ponatur recta D E esse E. Cum igitur ex proprietate specifica cissoïdis recta M D, sit ad D G, ut D G, ad D H, fiat jam in terminis analyticis per adæqualitatem, ut N E, ad E G, ita E G, ad portionem rectæ E N, quæ intercipitur inter punctum E, & tangentem, & est E O,

Vocetur A D, data Z.
D G, data N.
D H, data R.
D F, quæsita, ut diximus, A,
D E, sumpta ad libitum E.
Ergo E G, vocabitur N − E.
E O, vocabitur $\frac{R \text{ in } A - R \text{ in } E}{A}$.

E N, vocabitur latus Z in N − Z in E + N in E − E².

Cùm igitur ex præcepto proprietas specifica debeat considerari, non amplius in curva, sed in tangente, ideoque faciendum sit ut N E, ad E G, ita E G, ad E O, quæ applicatur tangenti: ergo in terminis analyticis faciendum ut

Latus Z in N − Z in E + N in E − E²,
Ad N − E.
Ita N − E.
Ad $\frac{R \text{ in } A - R \text{ in } E}{A}$.

Et quadratis singulis terminis ad vitandam asymmetriam fiet ut

Z in N − Z in E + N in E − E².
Ad N², + E². − N in ²E.
Ita N² + E².
Ad $\frac{R^2 A^2 + R^2 E^2 - R^2 A\, {}^2E}{A^2}$.

Ducantur singula homogenea in A², & deinde quod fit sub extremis, adæquetur ex præceptis artis, ei quod fit a medio, elisis deinde superfluis, ut monet methodus, tandem orietur æqualitas inter

Z³ A + N A, ex una parte, & Z² N, ex altera.

Construetur igitur tangens hoc pacto. Producatur semidiameter circuli dati A ad punctum V, & fiat A V recta æqualis A C, rectæ, Rectangulum A D G ad rectam V D, applicetur, & faciat latitudinem D F, juncta recta F H, tanget cissoïdem.

Indicemus etiam modum agendi in Conchoide Nicomedæâ; sed indicemus tantum, ne proclivior evadat sermo.

Esto conchois Nicomedæa, ut construitur apud Pappum & Eutocium figura sequens.



Polus est punctum I, recta K G, est asymptotos curva, recta I H E, perpendicularis ad asymptoton. Punctum N datum in curva, ad quam ab eo puncto ducenda tangens B A concurrens cum I E in puncto A, sit factum ut supra, ducatur N C, parallela K G, ex proprietate specifica curvæ, recta L N est æqualis rectæ H E. Sumatur quodlibet punctum inter C & E, ut D, à quo rectæ C N parallela ducatur D B, occurrens tangenti in puncto B. Quia igitur proprietas specifica debet considerari in tangente, jungatur B G, occurrens rectæ K G, in M, & ex præceptis artis recta M B adæquetur rectæ H E, orietur tandem quæsita æqualitas, quod ut prodeat,

C A, ut supra vocetur A
C D, sit E
E N data sit Z

Et reliquæ datæ suis nominibus designentur.

Invenietur facillimè recta M B, in terminis analyticis, quæ si adæquetur, ut dictum rectæ H E, solvetur quæstio.

Hæc de priore casu videntur sufficere. Licet enim praxes infinitæ suppetant, quæ prolixitates evitant; ex his tamen nullo negotio deduci possunt.

Secundo casui, quem difficilem judicabat D. DesCartes, cui nihil difficile, elegantissima, & non insubtili methodo sit satis.

Quamdiu rectis tantùm lineis homogenea implicabuntur, quærantur ipsa & designentur per præcedentem formulam, Imò & vitandæ asymmetriæ causâ aliquando, si libuerit, applicatæ ad tangentes ex superiore methodo inventas, pro applicatis ad ipsas curvas sumantur, & demùm, quod operæ pretium est, portiones tangentium jam inventarum pro portionibus curvæ ipsis subjacentis sumantur, & procedat æqualitas, ut supra monuimus, proposito nullo negotio satisfiet.

Exemplum in curva Cycloide D. De Roberval assignamus.



Sit curva H R I C, cujus vertex C, axis E F, & descripto semicirculo C O M F, sumatur punctum quodlibet in curva, ut R, a quo est ducenda tangens R B, ducatur à puncto R recta R M D, perpendicularis in C D F, quæ secet semicirculum in M. Ea igitur curvæ proprietas specifica est, ut recta R D, sit æqualis portioni circuli A M, & applicatæ D M: Ducatur in puncto M, ex præcedente methodo tangens M A, ad circulum, (eadem nempe procederent si curva C O M esset alterius naturæ) Ponatur factum quod quæritur, & sit recta D B quæsita, æqualis A, D A inventa ex constructione æqualis B.

M A itidem inventa vocetur D,
M D data vocetur R,

RD vocetur Z
CM portio circumferentiæ data ſit N
DE recta utcumque aſſumpta ſit E,
Et a puncto E ducatur EOVIN parallela rectæ RMD,

Fiat ut A ad A − E, ita Z ad $\frac{ZA - ZE}{A}$ quæ idcirco æquabitur rectæ NIOVE;

Igitur recta $\frac{ZA - ZE}{A}$ debet æquari propter proprietatem ſpecificam curvæ quæ in tangente conſideranda eſt, rectæ OE, unà cum curva CO. Curva autem CO æquatur curvæ CM − curvâ MO. Ergo recta $\frac{ZA - ZE}{A}$ debet æquari rectæ OE, & curvæ CM − curvâ MO. Ut autem hi termini ad terminos analyticos reducantur, pro rectâ OE, ad vitandam aſymmetriam, ex ſuperiore cautione ſumatur recta EV, applicata tangenti; & pro curva MO, ſumatur portio tangentis MV, cui ipſa MO adjacet: ad inveniendam autem EV, in terminis analyticis fiet ut B ad B − E, ita R ad $\frac{RB - RE}{B}$ quæ idcirco æquabitur ipſi EV.

Ad inveniendam deinde MV, fiet ut B, ad D, ita E ad $\frac{DE}{B}$, quæ idcirco propter triangulorum ſimilitudinem, ut ſupra, æquabitur MV: Curva autem CM, vocata eſt N, igitur in terminis analyticis fiet æqualitas inter $\frac{ZA - ZE}{A}$ ex una parte

Et $\frac{RB - RE}{B} + N - \frac{DE}{B}$, ex altera;

Ducantur omnia in BA,
$ZBA - ZBE \backsim RBE - RAE + BNA - DAE$,
Cum autem ex proprietate curvæ $Z \backsim R + N$ ergo
$ZBA \backsim RBA + BNA$,
Ideoque ablatis communibus, reliqua comparentur,
Nempe ZBE, cum RAE + DAE,

Fiat diviſio per E. Et quia nullum eſt hoc caſu homogeneum ſuperfluum, nulla fieri debet eliſio. Igitur
$ZB \backsim RA + DA$. Et fiet ut
R + D, ad B, ita Z, ad A.

Ad conſtruendum igitur problema, ſi fiat ut aggregatum rectarum MA, MD, ad rectam DA, ita RD, ad DB. Juncta BR tanget curvam CR. Quia verò ut ſumma rectarum MA, MD, ad DA, ita MD, ad DC, ut facile eſt demonſtrare. Ideo faciendum erit ut MD ad DC, ita RD, ad DB, ſive ut elegantior evadat conſtructio junctæ rectæ MC, ducenda erit parallela RB.

Eadem methodo ſpecies omnes illius curvæ tangentes ſuas nanciſcentur.

Conſtructionem generalem olim dedimus.

Quoniam verò quæſitum eſt de tangente quadratariæ, ſive quadratricis Dinoſtrati, ita conſtruimus ex præceptis præcedentibus.



Sit quadrans circuli AIB, quadrataria AMC, in qua ad datum punctum M, ducenda eſt tangens. Juncta MI, centro I, intervallo IM quadrans ZMD, deſcribatur, & ducta perpendiculari MN, fiat ut IM ad MN, ita portio quadrantis MD, ad rectam NO, juncta MO, tanget quadratariam; hæc ſufficiant.

Quia tamen ſæpiùs curvatura mutatur, ut in Conchoïde Nicomedæa, quæ pertinet ad priorem caſum, & in omnibus ſpeciebus curvæ Domini De Roberval, primâ exceptâ quæ pertinet ad ſecundum, ut perfectè curva poſſit delineari, inveſtiganda ſunt ex arte puncta inflexionum, in quibus curvatura ex convexâ fit concava, vel contra. Cui negotio eleganter inſervit doctrina de maximis & minimis.
Hoc præmiſſo lemmate generali.

Eſto in ſequenti figura curva AHFG, cujus curvatura in puncto H, verbi gratiâ, mutetur; Ducatur tangens HB, applicata HC, angulus HBC, erit minimus omnium quos tangentes cum axe ACD, ſive infra, ſive ſupra punctum H, efficiunt, ut facile eſt demonſtrare. Sumatur enim ſupra H, punctum, punctum M, tangens occurret axi inter A & B, ut in N, igitur angulus ad N major erit angulo ad B. Similiter ſi infra punctum H, ſumatur punctum F punctum D, in quo concurrit tangens FD, cum axe erit inferius puncto B, & tangens DF, occurret tangenti BH, ad partes F & H. Igitur angulus ad D, erit major angulo ad B. Caſus omnes non perſequimur, ſed modum tantùm inveſtigandi indicamus, cum curvarum formarum infinitas ſpecies exhibeant. Ut igitur verbi gratiâ, in expoſito diagrammate punctum H, inveniatur, quæratur primùm ex ſuperiore methodo ad punctum quodlibet curuæ utcumque ſumptum proprietas tangentis. Hâc inventâ quæratur per doctrinam de maximis & minimis punctum H, à quo ducendo perpendicularem HC, & tangentem HB, recta HC, ad CB, habeat minimam proportionem. Eâ enim ratione angulus ad B erit minimus. Dico punctum H, ita inventum eſſe initium mutationis in curvatura.

Ex prædicta methodo de maximis & minimis derivantur artificio ſingulari inventiones centrorum gravitatis, ut aliàs indicavi.

Sed & coronidis loco poſſunt etiam & datâ curvâ inveniri ipſius aſymptoti quæ in curvis infinitis miras exhibent proprietates. Sed hæc ſi libuerit, fuſiùs aliquando explicabimus & demonſtrabimus.

DE CONTACTIBUS SPHÆRICIS.

APOLLONII Pergæi doctrinam περὶ ἐπαφῶν restituit eleganter Apollonius Gallus aut sub illius nominis larvâ Franciscus ille Vieta Fontenæensis cujus miræ in Mathematicis lucubrationes veteri geometriæ felices præstitere suppetias. Verùm qui materiam hanc contactuum quæ hactenus substitit in planis, ulteriùs promoverit, & ad sphærica problemata evehere sit ausus, adhuc, quod sciam, extitit nemo; præclara tamen inde problemata deduci & ad elegantem sublimiorum problematum constructionem facillimè derivari patebit statim. Quærenda itaque sphæra qua per data puncta transeat aut sphæras & data plana contingat. Quindecim problematis totum negotium absolvetur.

PROBLEMA I.

Datis quatuor punctis sphæram invenire quæ per data transeat.

DEntur quatuor puncta N O M F, per quæ Sphæra describenda est sumptis ad libitum tribus N O M, circa triangulum N O M, quod in uno esse plano constat ex elementis; describatur circulus N A O M, quem & magnitudine & positione dari pers-



picuum est, esse autem circulum N A O M, in superficie inveniendæ Sphæræ patet, ex eo quod si Sphæra plano secetur sectionem datò circulum, at per tria puncta N M O, Unicus tantùm circulus describi potest, quem jam construximus, cum igitur tria puncta N O M sint in superficie Sphæræ quæsitæ, ergo planum trianguli N O M, Sphæram quæsitam secat secundum circulum N A O M, quem ideo in superficie Sphæræ esse concludimus. Sit ipsius centrum C, à quo ad planum circuli excitetur perpendicularis C E B, patet in recta C B, esse centrum Sphæræ quæsitæ, à puncto F, in rectam C B, demittatur perpendicularis F B, quam & positione & magnitudine dari perspicuum est, à puncto C, ducatur C A D, ipsi F B, parallela, erit igitur angulus B C A rectus, sed & recta B C, est perpendicularis ad planum circuli. Ergo recta A C D, est in plano circuli, & datur positione, dantur itaque puncta A D, in quibus cum circulo concurrit, ponatur jam factum esse, & centrum inveniendæ Sphæræ esse E, quod quidem in rectâ C B, reperiri jam diximus ex Theodosio junctæ rectæ F E, A E, E D, erunt æquales, cum tria puncta nempe F, ex hypothesi & A, & D, ex demonstratis sint in superficie sphærica, at tres rectæ F E, A E, E D, sunt in eodem plano, cum enim rectæ F B, A C D, sint parallelæ, erunt in eodem plano, sed & recta C B, ideoque tres F E, A E, D E; si igitur circa tria puncta data A F D, describatur circulus, ejus centrum E, erit in recta C B, ac proinde & Sphæræ quæsitæ centrum & Sphæra ipsa non latebunt.

PROBLEMA II.

Datis tribus punctis & plano invenire sphæram quæ per data puncta transeat, & planum datum contingat.

DEntur tria puncta N O M, per quæ circulus descriptus M E O N, erit ad superficiem Sphæricam quæsitam ex jam demonstratis, & in excitatâ ad planum circuli rectâ I B A, invenietur centrum Sphæræ quam quærimus; concurrat recta I B A, cum



plano dato in puncto A, dabitur igitur punctum A, positione à centro circuli N E O M, demittatur perpendicularis in planum datum I D, dabitur igitur punctum D, ideoque & recta A D, positione & magnitudine, & pariter rectæ I D, & I A, dabitur igitur planum trianguli A D I poſitione, datur autem & planum circuli M O N, poſitione, ergo communis illorum planorum ſectio F I E, dabitur poſitione, ideóque dabuntur puncta E & F, in circulo. Sit factum & centrum ſphæræ quæſitæ punctum B. Jungantur rectæ B E, B F, & rectæ I D, parallela ducatur B C, cum triangulum A D I, & recta E I F, ſint in eodem plano, ergo rectæ E B, B F, B C, erunt in eodem plano, ſed recta I D, eſt perpendicularis ad planum datum, ergo recta B C, ipſi parallela, eſt etiam perpendicularis ad planum datum; cum igitur ſphæra deſcribenda planum A D, datum contingere debeat, ergo ab ipſius centro demiſſa in planum perpendicularis B C, dabit punctum contactus C, rectæ igitur B C, B E, B F, erunt æquales & probatum eſt eas eſſe in eodem plano poſitione dato, in quo & recta A D. Eò itaque deducta eſt quæſtio ut datis duobus punctis E & F, & rectâ A D, in eodem plano, quæratur circulus qui per data duo puncta tranſeat & rectam datam contingat, cui problemati ſatisfecit Apollonius Gallus, dabitur igitur centrum ſphæræ B, & omnia conſtabunt.

PROBLEMA III.

Datis tribus punctis & ſphærâ invenire Sphæram quæ per data puncta tranſeat & ſphæram datam contingat.

DEntur tria puncta M, N, O, & ſphæra I G, datur circulus M O N, in ſphæra quæſitâ, ad planum circuli erecta perpendicularis F C B, ut ſupra continebit centrum ſphæræ quam quærimus, à centro I, ſphæræ datæ demittatur in rectam F B, perpendicularis I B, quæ dabitur poſitione & magnitudine, à centro F, ipſi parallela ducatur E D, quæ erit ex jam demonſtratis in plano circuli, & dabuntur puncta E & D, ſit factum, & centrum ſphæræ quæſitæ C, ergo rectæ I C, C E, C D, erunt in eodem plano quod & datum eſt, cum dentur puncta I, E, D. Contactus autem duarum ſphærarum eſt in rectâ ipſarum centra connectente, ergo tanget ſphæra quæſita ſphæram datam in puncto G, recta igitur I C, ſuperabit rectas C E, C D, radio I G, centro I, intervallo radij ſphærici dati deſcribatur circulus in plano dato rectarum I C, C E, E D, tranſibit igitur per punctum G, & circulus ille poſitione & magnitudine dabitur ſed & puncta E & D in eodem plano. Eò itaque deducta eſt quæſtio ut ex Apollonio Gallo quæratur methodus quâ datis duobus punctis & circulo in eodem plano, inveniatur circulus qui per data duo puncta tranſeat & circulum datum contingat.



PROBLEMA IV.

Datis quatuor planis invenire ſphæram quæ data quatuor plana contingat.

DEntur quatuor plana A H, A B, B C, H G quæ à ſphærâ quæſitâ contingi oporteat.

Sint duo plana A F, F D quæ ab eadem ſphærâ contingantur, biſecetur ipſorum inclinatio per planum B F H C, patet centrum ſphæræ quæ duo plana A F, F D contingit eſſe in plano biſecante, ut videatur inutile in re tam proclivi diutiùs immorari, ſi plana A F, F D, eſſent parallela ſphæræ, centrum eſſet in plano ipſis parallelo, & intervallum ipſorum biſecante, hoc poſito propter plana C B, B A, poſitione data quod nempe datorum C B, B A, planorum inclinationem datam biſecat. Sed propter duo plana B A, A H, eſt idem centrum ſphæræ quæſitæ ad aliud planum poſitione datum; ergo communis ſectio duorum planorum poſitione datorum, quorum alterum incli-





nationem planorum C B, B A, alterum inclinationem planorum B A, A H, biſecat, dabit rectam poſitione datam, in quâ inveniendæ ſphæræ centrum erit. Sit illa recta F E, ſed propter duo plana A H, H G, eſt etiam centrum ſphæræ quæſitæ ad aliud planum poſitione datum cujus concurſus cum recta F E, poſitione datâ dabit punctum D, quod patet eſſe ſphæræ quæſitæ centrum, & reliqua conſtabunt.

PROBLEMA V.

Datis tribus planis & puncto invenire ſphæram quæ per punctum datum tranſeat & plana data contingat.

SInt data tria plana A B, B C, C D, & punctum H, quærenda ſphæra quæ data tria plana contingens tranſeat per punctum H. Sit factum; tria plana data ex præcedentis propoſitionis ratiocinio dabunt rectam poſitione datam quæ ſedes erit centri ſphærici quæſiti. Sit illa G E, in quam à puncto dato H demittatur perpendicularis



H I, quæ & poſitione & magnitudine dabitur, producatur ad F, ut ſit I F, æqualis I H, dabitur punctum F, cum autem ſphæræ quæſitæ centrum ſit in recta G E, ad quam ducta eſt perpendicularis H F bifariam ſecta in I, cujus unum ex extremis H eſt ad ſuperficiem ſphæricam ex hypotheſi, erit & alterius extremum F, etiam ad ſphæricam ſuperficiem. Imò & circulus centro I, interuallo I H, deſcriptus in plano recto ad rectam G E erit ad ſuperficiem ſphæræ; datur autem ille circulus poſitione & magnitudine, dato autem circulo ſphærico poſitione & magnitudine & aliquo plano ut A B. Datur ex facili propoſitionis ſecundæ hujus conſectario ſphæra ad cujus ſuperficiem ſit circulus datus & quæ planum datum contingat, deducta eſt itaque quæſtio ad ſecundam hujus, nec reliqua latebunt.

PROBLEMA VI.

Datis tribus planis, & ſphærâ, invenire ſphæram quæ datam ſphæram & plana data contingat.

DEntur tria plana E D, D B, B C, & ſphæra R M, conſtruenda eſt ſphæra quæ datam ſphæram & tria pariter plana contingat. Sit factum & ſphæra E R C H, ſatisfaciat propoſito ſphæram nempe in puncto R.



Et plana in punctis E, A, C, contingens, ſphæræ, E R C H, centrum ſit O, junctæ R O, E O, A O, C O, erunt æquales, ſed & recta O R, tranſibit per datæ ſphæræ centrum M, & rectæ E O, O A, O C, erunt perpendiculares ad plana data D E, D B, B C. Fiant rectæ O M, æquales rectæ O V, O G, O I, & per puncta V G I intelligantur duci plana V P, G H, I N, datis E D, D B, B C, parallela, cum recta O R, æqualis ſit O E, & ablata O M, ablatæ O V, erit reliqua R M, reliquæ V E, æqualis, datur autem magnitudine R M, cum ſit radius ſphæræ datæ; datur igitur & V E magnitudine; cum autem OE, ſit perpendicularis ad planum D E, erit etiam perpend. ad planum PV, plano D E, parallelum, recta igitur VE, erit intervallum planorum D E, & PV, ſed datur V E magnitudine ex demonſtratis, ergo datur planorum D E, P V, intervallum; ſunt autem parallela hæc duo plana, & datur D E poſitione ex hypotheſi; datur igitur & P V, poſitione. Similiter probabitur plana G H, I N, dari poſitione & rectas O V, O G, O I, ad ipſa eſſe perpendiculares & æquales rectæ O M, ſphæra igitur centro O, intervallo O M, deſcripta plana P V, G H, I N, poſitione data contingit. Datur autem punctum M, cum ſit centrum ſphæræ datæ. Eò itaque deducta eſt quæſtio ut datis tribus planis P V, G H, I N, & puncto M. inveniatur ſphæra quæ per datum punctum M, tranſeat & data plana P V, G H, I N, contingat, hoc eſt deducitur quæſtio ad præcedentem, nec abſimili in ſequentibus artificio cum nulla in datis puncta reperientur, ſed ſphæræ tantùm aut plana, in locum unius ex ſphæris punctum datum ſubſtituetur.

PROBLEMA VII.

Datis duobus punctis & duobus planis invenire Sphæram quæ per data puncta transeat & plana data contingat.

DEntur duo plana A B, B C, & duo puncta H M. quærenda sphæra quæ per puncta H & M transeat & plana A B, B C, contingat. Jungatur recta H M, & bisecetur



in I, punctum I, dabitur, per punctum I, trajiciatur planum ad rectam HM, rectum, cum Sphærica superficies puncta H, M, contineat, certum est centrum Sphæræ esse in plano ad rectam H M, normali, & per punctum I, transeunte, datur autem hoc planum positione cum recta HM, & punctum I. Sint data positione, ergo centrum sphæræ propter puncta H & M, est ad planum datum. Sed & propter plana A B, B C, ut jam superiùs demonstravimus, est ad aliud planum datum, ergo est ad rectam positione datam, sit illa G E, in quam demissa ab uno ex punctis datis M, recta M F, dabitur positione & magnitudine & continuata in D, ut sit F D, æqualis M F, erit punctum D, datum & ex superius demonstratis erit etiam ad sphæricam superficiem, dantur itaque tria puncta H M D, per quæ sphæra quæsita transit, datur etiam planum A B, quod ab eadem sphærâ contingi debet; deducta est itaque quæstio ad problema secundum hujus.

Priusquam progrediamur ulterius, præmittenda lemmata quædam facillima.

LEMMA I.

SIT circulus B C D, extra quem sumpto quolibet puncto E, trajiciatur per centrum recta E D, O B, ducatur quælibet E C B, patet ex elementis rectangulum A E C, æquari rectangulo B E D. Sit jam sphæra circa centrum O, cujus maximus circulus sit A C D B, si ab eodem puncto E per quodlibet punctum superficiei sphæricæ trajiciatur recta E C A, donec sphæræ ex altera parte occurrat, rectangulum A E C, erit similiter æquale rectangulo B E D, si enim intelligatur circa rectam immobilem B D E, conuerti

converti, & circulus & recta E C A, simul non immutabuntur rectæ E C, & E A, cum puncta C, & A, circulos describant ad axem rectos, nec idcirco rectangulum A E C, erit itaque in quocumque plano æquale rectangulo B E D.



LEMMA II.

SInt duo circuli in eodem plano A D E, H L O, per centra ipsorum trajiciatur recta A C M P, & fiat ut radius A C ad radium H M, ita recta C P, ad rectam M P, & à puncto P, ducatur ad libitum recta P O L E D, ambos circulos secans in punctis O E L D; demonstravit Apollonius Gallus rectangula A P Q, G P H esse æqualia & ipsorum cuilibet æquari rectangula D P O, E P L. In sphæricis idem quoque verum esse sequentium problematum interest, patet autem ex eo quod si circa axem A P immobilem tam circuli duo quàm recta P O L E D, eodem tempore convertantur, non immutabuntur rectæ P O, P L, P E, P D, propter allatam in superiori lemmate rationem nec idcirco rectangula, & in quocumque plano constabit propositum.



L.

LEMMA III.

Sint duæ ſphæræ datæ YN, XM per quarum centra trajiciatur recta R Y N X M V, & fiat ut radius Y N ad radium X M, ita recta Y V, ad rectam V X, à puncto V ducatur in quolibet plano recta V T S, & ſit rectangulum S V T æquale rectangulo R V M, ſi deſcribatur ſphæra quævis quæ per puncta T S, tranſeat & unam ex duabus datis contingat, alteram quoque continget. Sit enim ſphæra O T S, per puncta T & S deſcripta & ſphæram M X, in puncto O, contingens, aio ſphæram Y N, etiam à ſphæra O T S contactam iri, producatur recta V O, donec ſphæræ O T S, occurrat in Q, re-



ctangulum igitur Q V O ex primo lemmate eſt æquale S V T, ſed rectangulum S V T ex conſtructione eſt æquale rectangulo R V M, cui ex ſecundo lemmate eſt æquale rectangulum ſub V O, & rectâ per puncta V & O ad ſuperficiem ſphæricam ſphæræ Y N, productâ, ergo punctum Q eſt ad ſuperficiem ſphæræ Y N, commune igitur eſt & ſuperficiei ſphæræ Y N, & ſuperficiei ſphæræ O T S. Aio has duas ſphæras in puncto eodem Q, ſe contingere, ducatur enim à puncto V, quælibet recta in quolibet plano ſphæræ OTS, & ſit verbi gratia VZ, quæ producta ſecet ſphæras tres in punctis ZDHK P B, rectangulum Z V B in ſphæra O T S, per primum & ſecundum lemma eſt æquale D V P rectangulo, ſphæris duabus X M, & Y N, terminato. Sed D V, eſt major recta V Z, cum enim ſphærâ O T S, tangat exteriùs ſphæram X M in puncto O, recta ſecans ſphæram O T S, prius ipſi occurret quàm ſphæræ X M. Cum ergo probatum ſit rectangulum D V P, æquari rectangulo Z V B, & recta Z V, ſit minor recta D V, ergo recta PV erit minor rectâ BV, punctũ igitur B extra ſphæram Y N cadet. Simili ratiocinio concludetur omnia puncta ſphæræ ambientis exteriùs cadere, præter punctum Q, tangit igitur ſphæra O T S, ſphæram Y N quod erat demonſtrandum, nec abſimilis aut difficilior in contactibus interioribus, & in omnibus caſibus demonſtratio.

LEMMA IV.

Sit planum A C, & ſphæra D G F, cujus centrum O, per centrum O, ducatur F O D B perpendicularis ad planum & à puncto F ducatur recta quævis ad planum ſphæram ſecans in G, & planum in A. Aio rectangulum A F G, æquari rectangulo B F D, nam ſecetur ſphæra ad planum datum, per planum trianguli A B F, & fiat circulus G F D in ſphærâ, in plano autem recta A B C, cum recta F B, ſit perpendicularis ad



planum A C, erit etiam perpendicularis ad rectam A C, habens igitur circulum DGF, & rectam A C in eodem plano, & rectam F D B per centrum circuli tranſeuntem ad A C perpendicularem jungatur G D, anguli ad G, & ad B, ſunt recti, ergo quadrilaterum A B D G, eſt in circulo, ideoque rectangulum A F G æquale eſt rectangulo BFD, quod etiam in quavis alia ſphæræ ſectione ſimiliter demonſtrabitur.

LEMMA V.

Sit planum A B D, & ſphæra E G F, cujus centrum O, per centrum O trajiciatur recta F O E C perpendicularis ad planum, & in quovis alio puncto ducatur recta F H I, ſitque rectangulum I F H æquale rectangulo C F E. Si per puncta I H, deſcribatur



ſphæra quæ planum A C contingat, eadem ſphæra tanget ſphæram E G F, intelligatur conſtrui ſphæra I H B, quæ per puncta I & H, tranſiens tangat planum A C, in puncto B I, aio ſphæram E G F contingi à ſphæra I H B, jungatur recta F B & rectangulo C F E, fiat æquale rectangulum B F N, punctum N, per præcedentem erit ad ſuperfi-

ciem ſphæræ E G F, ſed & rectangulum C F E, ex conſtructione eſt æquale rectangu-
lo I F H, rectangula igitur I F H, B F N, ſunt æqualia; ideoque punctum N, eſt
etiam ad ſuperficiem ſphæræ I BH. Probandum jam ſphæram E G F, à ſphæra I BH, in
puncto N contingi, quod quidem facile eſt, à puncto enim F, per quodlibet punctum
ſphæræ E G F, ducatur recta F R, quæ ſphæram I B H, in H & P, & planum A C in
K ſecet, rectangulum K F R ex præcedente lemmate æquatur rectangulo C F E, cui ex
conſtructione æquatur rectangulum D F H, ideoque P F H rectangula, igitur K F R,
& P F H ſunt æqualia, ſed recta K F eſt major recta F P, quia ſphæra I B H, tangit
planum A C in B, ergo recta F R eſt minor recta F H, punctum igitur R eſt extra
ſphæram I B H. Idem de quocumque alio puncto in quovis plano ſphæræ E G F, ex
utraque puncti N parte probabitur; manifeſtum itaque ſphæram E G F, à ſphærâ I B
H, in puncto N contingi.

Hæc lemmata licet ſint facilia, pulcherrima tamen ſunt, tertium præſertim & quin-
tum, in tertio quippe infinitæ ſunt ſphæræ quæ per puncta T & S tranſeuntes ſphæram
X M, contingunt, ſed omnes illæ in infinitum tangent quoque ex demonſtratis ſphæ-
ram Y N, in quinto autem lemmate infinitæ ſunt ſphæræ quæ per puncta I & H tran-
ſeuntes planum A C contingunt, ſed omnes illæ pariter in infinitum ſphæram E G F,
ex demonſtratis contingent.

His ſuppoſitis reliqua problemata facilè exequemur.

PROBLEMA VIII.

Datis duobus punctis plano & ſphærâ invenire ſphæram quæ per data puncta tranſeat & ſphæram ac planum datum contingat.

SIT datum planum A B C, ſphæra D F E, & puncta H M, per centrum ſphæræ
datæ O in planum A B C, datum demittatur perpendicularis E O D B, junga-
tur H E, & rectangulo B E D, fiat æquale rectangulum H E G; dabitur itaque pun-
ctum G, datis tribus punctis H, G & M, & plano A B C, quæratur ſphæra per 2. pro-



blema hujus, quæ per data tria puncta tranſeat & planum A B C datum contingat.
Sphæra illa ſatisfaciet propoſito, tranſit quippe per data duo puncta H & M, & pla-
num A B C tangit ex conſtructione, ſed & ſphæram D F E contingit, ex quinto lem-
mate; nam cum rectangulum H E G, æquetur rectangulo B E D, omnis ſphæra quæ
per data duo H & G puncta tranſiens planum A B C tangit, ſphæram quoque D E F
contingit.

PROBLEMA IX.

Datis duobus punctis & duabus ſphæris invenire ſphæram quæ per data duo puncta tranſeat & ſphæras datas contingat.

SInt datæ duæ ſphæræ A B, D E, & puncta data, H & M, trajiciatur recta A F, per
centra ſphærarum datarum, & ut radius A B ad radium D E. ita fiat recta B F, ad FE,



dabitur punctum F, fiat rectangulo N F A, æquale rectangulum H F G, dabitur pun-
ctum G. Jam datis tribus M, G, H, punctis & ſphærâ D N, quæratur ſphæra quæ
per data tria puncta tranſeat & ſphæram D N datam contingat, cui problemati ſatiſ-
faciet tertium problema hujus, continget quoque ſphæram ex 3. lemmate ideoque
propoſito ſatisfaciet.

PROBLEMA X.

Dato puncto, duobus planis, & ſphærâ invenire ſphæram, quæ per datum punctum tranſeat & ſphæram, ac data duo plana contingat.

SInt duo plana A B, B D, ſphæra E G F, punctum H, per punctum O centrum ſphæræ datæ in quodlibet ex planis demittatur perpendicularis CEOF, & rectangulo



C F E, fiet æquale rectangulum H F I, datis duobus punctis H, & I, & duobus planis A B, B D. Quæratur per ſeptimum problema hujus ſphæra quæ per data duo puncta tranſeat & duo plana data contingat, continget quoque ex quinto lemmate ſphæram, & propoſito ſatisfaciet.

PROBLEMA XI.

Dato puncto, plano, & duabus ſphæris invenire ſphæram quæ per datum punctum tranſeat & planum, ac ſphæras duas datas contingat.

DEducetur ſtatim quæſtio ſimili præcedentibus ratiocinio ad problema octavum, datis duobus punctis, plano & ſphærâ, idque beneficio lemmatis quinti. Quod ſi libeat uti lemmate tertio deducetur quæſtio pariter ad idem problema alio medio & aliâ conſtructione.

PROBLEMA XII.

Dato puncto & tribus ſphæris, invenire ſphæram quæ per datum punctum tranſeat & ſphæras datas contingat.

HUic quoque figuram non aſſignamus, ſtatim quippe beneficio lemmatis 3. deducetur quæſtio ad problema IX. datis duobus punctis, duabus ſphæris, &c.

PROBLEMA XIII.

Datis duobus planis & duabus ſphæris, invenire ſphæram quæ data plana & ſphæras contingat.



SIT factum. Si ergo ſphæricæ ſuperficiei inventæ imaginemur aliam ejuſdem centri ſuperficiem parallelam quæ à quæſitâ diſtet per radium minoris ex ſphæris, tanget hæc nova ſuperficies ſphærica plana quæ à datis diſtabunt per intervallum ejuſdem radij minoris ex ſphæris, tanget quoque ſphæram cujus radius diſtabit à radio majoris ſphæræ datæ per idem radij minoris intervallum, quæque erit majori ſphæræ concentrica, dabitur ergo, dabuntur & duo plana datis parallela & per radium minoris ex ſphæris ab ipſis diſtantia, tranſibit & hæc nova ſuperficies ſphærica per centrum minoris ex ſphæris datis, quod quidem datum eſt, pari igitur quo uſi jam ſumus in Problemate VI. artificio deducetur quæſtio ad problema X. dato puncto, duobus planis & ſphæra invenire &c.

PROBLEMA XIV.

Datis tribus ſphæris & plano invenire ſphæram quæ ſphæras & planum datum contingat.

SImili quâ uſi ſumus viâ in præcedente & VI. Problemate deducetur quæſtio ad Problema XI. dato puncto, plano & duabus ſphæris &c.

PROBLEMA XV.

Datis quatuor ſphæris invenire ſphæram quæ datas contingat.



SIT factum, & quâ uſus eſt methodo Apollonius Gallus ut problema de tribus circulis ad problema de puncto & duobus circulis deduceret, eâdem & ſimili præcedentibus famoſum hoc & nobile problema ad XII. datis tribus ſphæris & puncto deducemus. Conſtabit ex omni parte propoſitum, & illuſtre accedet Apollonio Gallo complementum.

Caſus varios, determinationes, & minuta neglximus, ne in immenſum excreſceret ſphæricus de contactibus tractatus.

DE LINEARUM CURVARUM CUM LINEIS RECTIS comparatione

DISSERTATIO GEOMETRICA.

NONDUM, quod ſciam, lineam curvam purè Geometricam rectæ datæ Geometræ adæquarunt. Quod enim à ſubtili illo Mathematico Anglo nuper inventum & demonſtratum eſt cycloidem nempe primariam diametri circuli ipſam generantis eſſe quadruplam, hoc ſuam ex ſententiâ doctiſſimorum Geometrarum videtur habere limitationem, ij quippe hanc eſſe legem & ordinem naturæ pronuntiant ut non ſinat inveniri rectam curvæ æqualem, quin priùs ſuppoſita fuerit alia recta alteri curvæ æqualis. Quod quidem in exemplo cycloidis ab ipſis allato ita ſe habere deprehendunt, nec nos diffitemur, cum conſtet deſcriptionem cycloidis indigere æqualitate alterius curvæ cum rectâ, hoc eſt circumferentiæ circuli cycloidem generantis cum rectâ quæ eſt baſis ipſius cycloidis. Sed quàm vera ſit hæc, quam ſtatuunt, lex naturæ, & quàm periculoſum ab uno aut altero experimento ſtatim ad axioma properare, infrà patebit. Nos enim curvam verè Geometricam & ad cujus conſtructionem nulla talis alterius curvæ cum rectâ æqualitas præceſſiſſe ſupponatur, rectæ datæ æqualem eſſe demonſtrabimus; & paucis, quantùm fieri poterit, totum negotium abſolvemus.

Hæc Diſſertatio typis edita fuit anno 1660. occultato Autoris nomine.

PROPOSITIO PRIMA.

SIT in Figura prima curva quævis A H M G in eaſdem partes curva, exempli causâ, una ex parabolis infinitis in quâ tangentes extra curvam cum baſe A F & axe F G concurrant, & ſumatur in hujuſmodi curvâ quodvis punctum H per quod ducatur tangens I H K, in qua ſumptis ex utraque parte punctis K & I demittantur perpendiculares I B, K D in baſim A F quæ ſecent curvam in punctis R & M. Aio portio

nem tangentis H I portione curvæ R H esse minorem, portionem autem ejusdem tan-
gentis H K portione curvæ H M esse majorem ; Cum enim ex hypothesi tangens K I
occurrat basi A F extra curvam, ergo angulus C H I qui fit ab intersectione perpendi-
cularis in basem H C, & tangentis H I erit minor recto, ideoque à puncto H demissa
perpendicularis in rectam K I cadet in punctum V supra puncta B R I. Patet itaque re-
ctam H V minorem esse rectâ H I, item rectam H I minorem esse rectâ quæ puncta
H & R conjungit; ergo à fortiori recta H I minor erit portione curvæ H R quæ rectam
ab H R ad R ductam subtendit; quod primo loco fuit demonstrandum. Aio jam por-
tionem K H portione curvæ H M esse majorem; à puncto K ducatur ad eandem curvam

Figura 1.



tangens K N & demittatur perpendicularis N E. Ex prædemonstratis probatum est rectam K N esse minorem portione curvæ N M : Sed ex Archimede summa tangentium H K, K N est major totâ portione curvæ H N. Ergo portio tangentis H K portione curvæ H M, major erit. Quod secundo loco fuit ostendendum. Nec moveat tangentem à puncto K ultra punctum G, aliquando occurrere curvæ. Hoc enim casu aliud punctum inter K & M sumi poterit, & omnia ad præcedentem demonstrationem aptari. Inde sequitur si à punctis K & I ducantur perpendiculares ad axem curvam in punctis O & P secantes, hoc casu tangentem H I curvâ H O esse majorem, tangentem verò H K curvâ H P esse minorem. Si enim imaginemur inverti figuram ita ut axis in locum baseos, basis in locum axis transferatur, non solum similis in hoc casu, sed eadem omninò erit demonstratio.

Patet autem ex ipsâ constructione, si rectæ B C & C D sint æquales portiones tangentis H I & H K esse item inter se æquales, quod tamen summopere notandum.

PROPOSITIO II.

AD dimensionem linearum curvarum non utimur inscriptis & circumscriptis more Archimedeo, sed circumscriptis tantùm ex portionibus tangentium compositis, duas enim series tangentium exhibemus quarum una major est curvâ, altera minor : demonstrationem autem multò faciliorem & elegantiorem per circumscriptas solas evadere Analystæ experientur.

Possibile igitur, ut vult methodus Archimedea, pronuntiamus cuilibet ex curvis jam prædictis circumscribere duas figuras ex rectis constantes quarum una superet curvam intervallo quovis dato minore, altera autem superetur à curva intervallo etiam dato minore.

Exponatur curva aliqua ex prædictis in 2. Figura. Secetur basis A F in quodlibet portiones æquales, A B, B C, C D, D E, E F, F G, & à punctis B, C, D, E, F, erigantur perpendiculares B Q, C V, D Z, E R, F M, quæ occurrant curvæ in punctis P, T, Y, N, O, Ducantur item tangentes A Q, P V, T Z, Y R, N M, O I. Ex primâ propositione patet tangentem A Q, portione curvæ A P esse majorem : item tangentem P V, portione curvæ P T esse majorem & sic de reliquis, tandemque etiam ultimam O I portione curvæ O H esse majorem. Ergo figura constans ex omnibus istis tangentium A Q, P V, T Z, Y R, N M, O I, portionibus curva ipsa major erit.

Figura 2.



At exponatur eadem curva in 3. Figura cujus basis A G in eundem portionum æqualium numerum dividatur in punctis B, C, D, E, F. à punctis B, C, D, E, F ut suprà erigantur perpendiculares B R, C Q, D O, E L, F I quæ occurrant curvæ in punctis S, P, N, M, K, à puncto autem S in hac tertia figura, ducatur tangens S T, occurrens perpendiculari A T, deinde à punctis P N, M, K, H ducantut tangentes P R, N Q, M O, K L, H I occurrentes perpendicularibus B S, C P, D N, E M, F K, in punctis R, Q, O, L, I. Ex prima propositione patet tangentem S T portione curvæ A S esse minorem, item tangentem P R portione curvæ P S esse minorem & sic deinceps, tandemque ultimam I H quæ parallela est basi, portione curvæ K H esse minorem. Ergo figura constans ex omnibus istis tangentium S T, P R, N Q, M O, K L, H I portionibus curva ipsa minor erit.

Deest hoc loco figura 3. quam ad calcem libri lector inveniet.

Cum autem ex corollario propositionis primæ partes tangentium ab eodem puncto curvæ utrinque productarum & portionibus basis hinc inde æqualibus oppositarum sint inter se æquales : patet, cum 2. & 3. Figuræ curvæ supponantur æquales aut eadem potius, licet vitandæ confusionis causâ duas figuras descripserimus, tangentem S T tertiæ figuræ æqualem esse tangenti P V secundæ figuræ, cum enim punctum S in tertia figura idem omninò sit cum puncto P secūdæ figuræ & portiones basis AB, BC in utraq; figura sint inter se æquales ; portiones tangentium ex utraque parte ipsis oppositarum nempe recta S T in 3. figura & recta P V in 2. inter se æquales erunt. Probabitur similiter tangentem P R 3. figuræ æqualem esse tangenti T Z 2 & sic de cæteris. Quo peracto constabit primam tantùm 2. figuræ & ultimam 3. nulli ex portionibus figuræ contrariæ æquales esse. Excessus igitur quo figura secunda superat tertiam est idem quo tangens A Q 2. figuræ superat tangentem I H 3. figuræ. Sed recta I H propter parallelas æquatur portioni basis F G sive A B, supponuntur enim omnes basis portiones æquales in utraque figura, ergo figura secunda ex tangentibus curva majoribus composita superat figuram tertiam ex tangentibus curva minoribus compositam eo ipso quo in 2. figura tangens A Q superat portionem basis A B, ipsi oppositam intervallo.

Si igitur velimus duas figuras curvæ circumscribere, alteram majorem curva, alteram verò minorem, quæ se invicem excedant intervallo minore quocumque dato, facillima erit constructio: Cum enim ex methodo tangentium jam cognita detur tangens ad punctum A, dabitur angulus Q A B, sed angulus Q B A est rectus, ergo datur triangulum Q A B, specie, datur itaque ratio rectæ A Q ad A B. Cavendum itaque est ut divisio basis ita instituatur ut differentia rectarum A Q & A B sit minor quacumque recta data, Quod ita assequemur si quæramus duas rectas in data ratione quæ se invicem excedant recta data quæ sit minor eâ quæ data est. Hoc autem problema est facile, & curandum deinde ut portio qualibet basi, A B non sit major minore duarum quæ dicto problemati satisfaciunt.

Cum igitur hac ratione invenerimus duas figuras curvæ circumscriptas, alteram majorem, alteram minorem dictâ curvâ quæ se invicem excedunt intervallo minore quocumque dato, à fortiori major ex circumscriptis superabit curvam intervallo adhuc minore, & minor ex circumscriptis superabitur à curva intervallo adhuc minore.

Patet itaque ex nostra hac methodo per duplicem circumscriptionem commodum præberi aditum ad methodum Archimedeam cum agitur de dimensione linearum curvarum. Quod semel monuisse & demonstrasse sufficiet.

His positis securè pronuntio inveniri posse curvam verè Geometricam datæ rectæ æqualem. Ea verò est una ex infinitis parabolis, quas olim speculati sumus; illa nempe in qua cubi applicatarum ad axem sunt inter se ut quadrata portionum axis, de quo ne dubitent Geometræ ita breviter demonstro.

PROPOSITIO III.

SIT in 4. Figura parabole quam jam indicavimus M I V A cujus vertex A, axis A N, & in qua sumpto quovis puncto I & ductis perpendicularibus seu applicatis ad axem rectis M N, I F, cubus rectæ M N sit ad cubum rectæ I F, ut quadratum rectæ N A ad quadratum rectæ F A, idque semper contingat: probandum est curvam M I A rectæ datæ æqualem esse. Fiat ut quadratum axis A N; ad quadratum applicatæ N M, ita recta N M ad rectam A D ipsi A N perpendicularem. Patet rectam A D esse rectum dictæ parabolæ latus: hoc est solidum sub AD in quadratum rectæ A N æquari cubo applicatæ N M, item sumpto quovis alio puncto ut I, solidum sub A D in quadratum A F æquari cubo applicatæ I F, quod non eget demonstratione, in facilibus enim non immoramur: ducatur tangens ad punctum I, & sit illa IOE quæ cum axe AN in puncto E concurrat. Ex methodo tangentium constat rectam F A, rectæ A E esse duplam, ideóque rectam F E ad rectam A F esse ut 3. ad 2. quadratum verò rectæ E F esse ad quadratum rectæ A F ut 9. ad 4. à recta A D abscindatur nona ipsius pars C D & reliqua CA bisecetur in B, erit igitur D A ad A B ut 9. ad 4. sive ut quadratum E F ad quadratum A F. Solidum itaque sub A D in quadratum A F æquale erit solido sub quadrato F E in rectam A B. Sed solidum sub A D in quadratum A F est æquale cubo rectæ I F, ergo solidum sub rectâ A B in quadratum E F est æquale eidem cubo rectæ I F; est ergo ut quadratum E F ad quadratum I F ita recta I F ad rectam A B, & componendo summa quadratorum E F & F I, hoc est unicum quadratum tangentis I E est ad quadratum I F, ut summa rectarum I F & A B ad A B.

Si autem ducatur à puncto I perpendicularis ad basim recta I H & alia quævis perpendicularis G Q V O occurrens applicatæ I F in Q: curvæ in V & tangenti in O, propter similitudinem triangulorum erit ut I O ad I Q sive ipsi æqualem H G, ita tangens I E ad applicatam I F, & ut quadratum I O ad quadratum H G ita quadratum I E ad quadratum I F.

Ut autem quadratum I E ad quadratum I F, ita summa rectæ I F & A B ad rectam A B Ergo quadratum I O ad quadratum H G erit semper ut summa rectarum I E & A B ad rectam A B: Quod demonstrare oportuit.



Inde sequitur si rectæ M N ponatur in directum recta N X rectæ A B æqualis, esse semper ut quadratum tangentis I O ad quadratum rectæ H G, vel ut quadratum tangentis I Y ex altera parte ad quadratum rectæ oppositæ R H, utrobique enim propter parallelas eadem est ratio, ita rectam H X ad rectam N X. Recta enim H X æqualis est summæ rectarum I F, & A B, & recta N X est æqualis A B. Hoc autem patet ex constructione, recta enim H N propter parallelas æqualis est rectæ I F, & reliqua N X, facta est æqualis rectæ A B.

PROPOSITIO IV.

EXponatur in 5. Figura nostra hæc parabola A X E cuius sit ea, ut diximus, natura ut cubi applicatarum sint inter se in ratione quadratorum portionum axis: Sit ejus axis A I, basis aut semibasis E I ex datis axe A I & applicata I E invenitur, ut superius diximus, rectum latus A D, à quo abscissa nonâ ipsius parte C D, & reliqua A C bifariam divisa in B, secetur basis E I in quotlibet libuerit portiones æquales E F, F G, G H, H I & à punctis F, G, H excitentur perpendiculares F X, G Y, H Z curvæ occurrentes in punctis X, Y, Z. Ad puncta autem E X Y, Z, ducantur tangentes ER, XS, YT, ZV, occurrentes perpendicularibus FX, GY, HZ, IA productis, in punctis R, S, T, V. Ponatur rectæ EI in directu recta IK æqualis rectæ AB, Patet ex præcedente propositione & ipsius corollario quadratum tangentis Z V ad quadratum recta H I esse ut rectam H K, ad rectam KI. Similiter ut quadratum tangentis Y T ad quadratum rectæ G H ita rectam G K ad rectam K I; item quadratum tangentis X S ad quadratum rectæ F G ut rectam F K ad rectam K I; denique ut quadratum tangentis E R ad quadratum rectæ E F ita rectam E K ad rectam I K: His positis à puncto K excitetur K L perpendicularis ad rectam E K, & fiat recta K L æqualis rectæ K I sive A B: Intelligatur jam per punctum K tanquam verticem, axem autem K E, describi parabole simplex sive Archimedea cujus rectum latus sit K L, & sit illa parabola K M Q ad quam excitentur perpendiculares F Q, F P, G O, H N, I M quæ erunt, ut patet applicatæ parabolæ & in directum positæ perpendicularibus F X, G Y &c. Quadratum tangentis Z V ut jam diximus est ad quadratum rectæ H I ut recta H K ad rectam I K.

Sed ut recta H K ad rectam I K ita ſingulis in rectam K L ductis rectangulum ſub H K in K L ad rectangulum ſub I K in K L s rectangulum verò ſub H K in K L ex natura parabolæ Archimedeæ æquatur quadrato applicatæ H N, & rectangulum ſub I K, in K L æquatur quadrato rectæ K L, cum rectæ I K, K L factæ fuerint æquales: Erit igitur ut quadratum H N ad quadratum K L ita quadratum tangentis Z U ad quadratum rectæ H I, ideòque ut recta H N ad K L ita tangens Z U ad rectam H I. Similiter probabimus eſſe ut tangentem Y T ad rectam G H ita applicatam G O ad K L: Item ut tangentem X S ad rectam F G ita applicatam F P ad K L, denique ut tangentem ER, ad rectam E F ita eſſe applicatam E Q ad K L. Cum igitur ſit ut tangens Z U ad rectam H I ita applicata HN ad K L, rectangulum ſub extremis æquabitur rectangulo ſub medijs, ideòque rectangulum ſub N H in HI æquabitur rectangulo ſub K L in tangentem Z U. Similiter rectangulum ſub O G in G H æquabitur rectangulo ſub K L in tangentem Y T, item rectangulum ſub P F in F G æquabitur rectangulo ſub K L in tangentem X S, denique rectangulum ſub E Q in E F æquabitur rectangulo ſub K L in tangentem E R: Quid autem pluribus in re proclivi & jam ad methodum Archimedeam ſponte ſua vergente immoramur? Per inſcriptas enim & circumſcriptas in ſegmento parabolico figuras, rectangula omnia QEF, PFG, OGH, NHI ſegmentum ipſum parabolicum EQMI deſignabunt. Omnes autem tangentes ER, X S Y T, Z U per iteratam ſecundùm noſtræ præcepta methodi circumſcriptionem curvam ipſam E X Y Z A etiam deſignabunt; ergo ſegmentum parabolicum E Q M I æquatur rectangulo ſub K L in curvam E X A. Datur autem in rectilineis ſegmentum parabolicum E Q M I, quadravit enim parabolam Archimedes ideòque ipſius ſegmenta. Ergo rectangulum ſub KL in curvam E X A etiam datùr: datur autem recta K L. Ergo datur curva E X A & ipſi alia recta poteſt conſtitui æqualis, quod erat demonſtrandum.

Si quibuſdam tamen hæc demonſtratio brevitate nimiâ laborare videatur, eam integram inſiſtendo veſtigiis Archimedeis non gravamur ſeparatim adjungere, ut eam legant & examinent qui ſuperiora non ſufficere exiſtimabunt. Probandum eſt ſegmentum parabolicum E Q M I rectangulo ſub datâ K L in curvam E X A æquale eſſe. Fiat ex Archimede ſegmentum illud parabolicum E Q M I æquale rectangulo ſub datâ rectâ K L in datam rectam B. Si probaverimus rectam B æqualem eſſe curvæ E X A conſtabit propoſitum. Aio itaque rectam B curvæ E X A eſſe æqualem. Si enim æqualis non eſt, erit vel major vel minor. Sit primò recta B major quàm curva E X A & ſit earum exceſſus, ſi fieri poſſit recta Δ. Ex propoſitione ſecundâ hujus poſſumus curuæ E X A circumſcribere figuram ex portionibus tangentium compoſitam quæ ſuperet curvam intervallo minore rectâ Δ. Fiat igitur illa circumſcriptio & in figura ſeparatâ, quam etiam quintam Romano charâctere notauimus, circumſcripta illa conſtet ex portionibus tangentium ER, X S, Y T, Z V, circumſcripta illa ex prædemonſtratis eſt major curvâ E X A. Sed & recta B poſita eſt major eâdem curva. Cum ergo circumſcripta ſuperet curvam minori intervallo quàm recta B ſuperat eandem curvam: Ergo circumſcripta minor eſt recta B. Rectangulum itaque ſub rectâ K L in circumſcriptam eſt minus rectangulo ſub K L in rectam B. At rectangulum ſub K L in B factum eſt æquale ſegmento parabolico E Q M I: Ergo rectangulum ſub K L, in circumſcriptam eſt minus dicto ſegmento parabolico E Q M I. Probavimus autem rectangulum ſub K L in portionem tangentis E R æquari rectangulo ſub Q E in E F, item rectangulum ſub K L in X S æquari rectangulo ſub P F in F G, item rectangulum ſub K L in Y T æquari rectangulo ſub O G in G H, denique rectangulum ſub K L in Z V æquari rectangulo ſub N H in H I, ergo rectangulum ſub K L in totam circumſcriptam eſt æquale ſummæ rectangulorum ſub Q E in E F, ſub P F in F G. ſub O G in G H & ſub N H, in H I. Si autem in rectas F P, G O, H N, I M, quæ ſenſim decreſcunt quò propiùs accedunt ad verticem parabolæ, continuatas demittantur

perpendiculares ſeu parallelæ baſi, à punctis Q, P, O, N rectæ Q Γ, P Θ, O Λ, N Φ. Patet rectangulum Q E F Γ æquale eſſe rectangulo ſub Q E in E F, item rectangulum Θ F, æquari rectangulo ſub P F in F G, rectangulum Λ G æquari rectangulo ſub O G in G H, denique rectangulum Φ H æquari rectangulo ſub N H in H I. Ergo rectangulum ſub K L in circumſcriptam eſt æquale rectangulis Θ E, Θ F, Λ G, Φ H. Sed probavimus rectangulum ſub K L in circumſcriptam eſſe minus ſegmento parabolico E Q M I, ergo ſumma rectangulorum Γ E, Θ F, Λ G, Φ H erit minor dicto ſegmento parabolico E Q M I, quod eſt abſurdum, illa enim rectangula conſtituunt figuram ex rectangulis compoſitam, & ſegmento parabolico, ut patet, circumſcriptam, ideóque ipſo ſegmento majorem. Recta itaque B non eſt major curvâ E X A. Sed neque minorem eſſe probabimus. Sit enim recta B minor curvâ E X A, ſi fieri poteſt, & curva ſuperet rectam B intervallo Δ. Circumſcribatur in figurâ ſeparatâ (quam etiam quintam charactere græco notavimus) figura conſtans ex portionibus tangentium curvâ E X A minorum; ſed quam tamen ipſa curva ſuperet intervallo minore ipſo Δ. Et ſit illa figura conſtans ex portionibus tangentium X R, Y S, Z T, A V; Cum itaque curva ſit major B intervallo Δ, & eadem curva ſuperet circumſcriptam intervallo minore ipſo Δ, ergo circumſcripta erit major rectâ B, ideoque rectangulum ſub K L in circumſcriptam erit majus ſegmento parabolico E Q M I. Sed rectangulum ſub K L in circumſcriptam æquatur, ex prædemonſtratis, rectangulis ſub P F, in F E, ſub O G, in G F, ſub N H in H G & ſub M I in I H. Eſt enim ut X R ad F E ita F P ad K L, ideòque rectangulum ſub K L in X R æquatur rectangulo ſub P F in F E & ſic de reliquis. Cum igitur rectangulum ſub K L in circumſcriptam ſit majus ſegmento parabolico E Q M I, ergo ſumma rectangulorum ſub P F in F E, ſub O G in G F, ſub N H in G H & ſub M I in H I eſt major dicto ſegmento parabolico, ſed omnia illa rectangula ductis perpendicularibus ſeu baſi parallelis rectis P Γ, O Θ, N Λ, M Φ quæ omnes cadent in applicatas intra parabolam, prout enim applicatæ magis diſtant à vertice eò magis ſemper augentur, erunt æqualia rectangulis P E, O F, N G, M H. Ergo ſumma omnium illorum rectangulorum P E, O F, N G, M H, erit major ſegmento parabolico. Quod eſt abſurdum. Rectangula enim illa P E, O F, N G, M H componunt figuram ex rectangulis compoſitam & ipſi ſegmento parabolico inſcriptam, ideóque ipſo minorem. Recta itaque B non eſt minor curvà E X A. Cum igitur nec ſit major, nec minor, erit ipſi curvæ æqualis. Quod prolixiùs, ut omnis removeatur ſcrupulus, fuit demonſtrandum.



Figura 5.



σχῆμα ε.



Ex jam demonſtratis patet eâdem facilitate demonſtrari poſſe ſegmentum parabolicum quodvis E Q P F à priore abſciſſum, rectangulo ſub datâ K L in curvam E X æquale esse ; Ideóque si detur in basi quodvis punctum ut F, cum ex Archimede segmentum parabolicum E Q P F in rectilineis detur, dari etiam & rectangulum sub K L datâ in portionem curvæ E X; datur autem recta K L, ergo & curva E X. Dato itaque quovis puncto inba se ut F, dari portionem curvæ ipsi oppositam & rectam posse assignari huic æqualem manifestum est.

Nec moveat ad rectam illam curvæ E X A æqualem inveniendam, construendam videri parabolam simplicem, quo casu problema solidum evaderet. Cùm enim supponatur ad veritatem tantum inquirendam & demonstrationem ritè conficiendam parabolæ illius descriptio; nihil vetat quominus calculum ipsum dissimulatâ illa imaginaria parabolæ descriptione, per rectas & circulos & expediamus & exhibeamus. Is autem calculus, nisi fallor, talis est. Esto in figurâ sexta, curva parabolica D A C



Figura 6.

ejus naturæ ut cubi applicatarum D B & N M sint inter se ut quadrata portionum axis B A & A M, dentur autem altitudo A B & semibasis B D, aut tota D B C. Aio dari rectam curvæ D A C æqualem (quod jam probatum est) in calculo verè Geometrico. Sit rectum istius parabolæ latus recta A O, quam datam esse ex datis axe & applicata ex suprà dictis constat, à recta A O auferatur nona ipsius pars E O, reliqua verò A E fiat æqualis rectæ Y K, cui in directum ponatur K X æqualis seu applicatæ semibasi D B. Super recta Y X tanquam diametro describatur semicirculus Y T X & rectâ Y K bisectâ in puncto R excitetur perpendicularis R T semicirculum secans in T, Rectæ R T fiat æqualis recta R V & super recta V X tanquam diametro describatur semicirculus V Q X ad cujus circumferentiam à puncto R excitetur perpendicularis R Q. Super rectis T R, R Q describantur semicirculi T P R, R G Q & ipsis applicentur rectæ T P, R G quæ singulæ sint ipsi R Y æquales. Junctis autem rectis R P, Q G: Aio rationem curvæ parabolicæ D A C ad basim D B C esse eamdem quæ est dupli quadrati rectæ Q G ad triplum quadratum rectæ R P ideoque esse datam. Fiat itaque ut triplum quadratum rectæ R P ad duplum quadratum rectæ Q G ita recta D C ad

ad rectam I H. Recta illa I H quæ data est ex constructione, æqualis erit curvæ parabolicæ D A C. Quod si cum præcedente demonstratione non conveniat, ab ipsa erit emendandum.

Si hæc non sufficiant ad obtinendum à Geometris ut nostra hæc curva parabolica inter admiranda Geometriæ collocetur, illud fortasse ab ipsis quæ mox sequentur impetrabunt. Quid enim mirabilius quàm ex unâ hâc curvâ derivari & formari alias numero infinitas non solum ab ipsâ sed inter se specie differentes quæ tamen singulæ rectis datis æquales esse demonstrentur? Propositio generalis hæc est.

Sit in 7. Figurâ, curva nostra parabolica C M A cujus altitudo A B, semibasis C B



Figura 7.

& ab eâ curvâ formentur aliæ in infinitum hac ratione ut ductis perpendicularibus ad basim rectis D M, N L, E K, I H utcumque, secantibus curvam in punctis M, K, nova curva C N I G ex hac priore formanda sit ejus naturæ ut recta D N sit semper æqualis portioni prioris curvæ nempe C M ipsam respicienti; item recta E I sit æqualis portioni prioris curvæ C M K, & sic in omnibus alijs quibuslibet perpendicularibus. Hæc nova curva C N I G erit diversæ à priore speciei. Formetur pariter ab ipsâ, tertia curva C L H F in qua rectæ D L, E H sint semper æquales portionibus curvis C N & C N I secundæ curvæ. Et à tertiâ pari ratione formetur 4. à quarta quinta, à quinta sexta & eo progrediamur in infinitum ordine. Aio omnes istas curvas C N I G, C L H F & reliquas in infinitum perinde ac primam parabolicam C M K A rectis datis æquales esse.

Notandum autem istas omnes in infinitum curvas esse purè Geometricas, nec in illis itaque ad legem illam & ordinem naturæ de quibus initio hujus dissertationis locuti sumus recurrendum. Licet enim rectæ D N & E I curvis C M & C M K supponantur æquales, eædem tamen ipsæ non tam suppositæ sunt quàm ex prædictis demonstratæ esse pariter rectis æquales. Dato quippe quolibet puncto D, cum ex præcedentibus detur recta æqualis portioni curvæ C M; ergo recta D N quæ curvæ C M ex constructione ponitur æqualis, ut recta verè data non ut æqualis curvæ considerari debet, & sic de reliquis. Curva igitur suprà descripta C N I G verè Geometrica est, quam postquam æqualem esse rectæ datæ demonstraverimus sequetur tertiam curvam ab eâ formandam nempe C L H F esse quoque purè Geometricam & sic omnes alias in infinitum.

Demonstratio difficilis non erit si prius præmiserimus generalem quæ huic operi omninò inservit propositionem.

N

PROPOSITIO VI.

Esto in Fig. 8. quælibet curva ejuſdem cum præcedentibus naturæ ONR, cujus vertex O, axis vel applicata O V I, eadem enim ſemper eſt demonſtratio, & ab eâ

Figura 8.



formetur alia curva OAE cujus ea ſit proprietas ut applicatæ ſint æquales portionibus abſciſſis à priore curvâ, exempli gratiâ, applicata VA ſit æqualis curvæ O N, applicata I E ſit æqualis curvæ O R, & ſic de reliquis: Ad datum punctum in novâ hâc curvâ ducetur tangens hoc pacto: Sit datum punctum E, ducatur applicata E I, ſecans priorem curvam in R, ducatur recta RC tangens in dicto puncto R priorem curvam & occurrens axi in puncto C, fiat ut R C ad C I, ita recta I E ad rectam I B, & jungatur E B. Aio rectam E B tangere novam curvam E AO in puncto E. Sumpto enim quovis puncto in axe ut V, & ducta applicata V N A quæ ſecet priorem curvam in N, tangentem R C in S, ſecundam curvam in A, rectam verò E B in Y, ſi probaverimus rectam V Y ſemper eſſe majorem applicatâ VA, recta E B non ſecabit novam curvam à parte verticis. Hoc autem facillimè probamus. Recta VA eſt æqualis curvæ O N ſive differentiæ inter curvas O R, N R: At recta R S eſt minor curvâ R N per conſectarium primæ propoſitionis, ergo differentia inter curvam O R & rectam RS eſt major differentia inter eamdem curuam O R, & curvam R N; ſed curva V Y eſt æqualis differentiæ inter curvam O R & rectam R S ut mox probabimus ergo recta V Y occurrens rectæ E B, erit major rectâ V A occurrente curvæ O A E, unde patet omnia puncta rectæ E B verſùs verticem eſſe extra curuam; ideóque recta E B curvam ab eâ parte non ſecabit. Imò nec inferiùs. Sumatur enim quodvis punctum ut H à quo ducatur applicata H Z ſecans priorem curvam in D, tangentem R C productam in F, ſecundam curvam in Z, & rectam E B productam in Q. Si probemus rectam H Q in quocumque caſu majorem eſſe rectâ H Z, patebit omnia puncta rectæ E B etiam inferiùs ſumpta extra curvam jacere, unde patebit dictam rectam E B tangere ſecundam curvam in dicto puncto E. Recta H Z eſt æqualis ex conſtructione curvæ O D, hoc eſt ſummæ curvarum O R, R D. Cum autem recta R F ſit portio tangentis R E inferiùs ſumpta erit ex conſectario primæ hujus recta R F major curva R D, ideóque ſumma curvæ O R & rectæ R F erit major ſumma, ejuſdem curvæ O R & curuæ R D; ſumma autem curvæ O R & rectæ R F eſt æqualis, ut mox probabimus, rectæ H Q; ſumma verò curvarum O R, R D eſt æqualis rectæ H Z ex conſtructione, ergo recta H Q ſemper & in omni caſu major erit applicatâ H Z. Ideóque recta E B in dicto puncto E tanget ſecundam curvam. Probandum

autem reliquimus differentiam curvæ OR & rectæ R S æquari rectæ V Y, ducatur recta E M parallela axi & occurrat rectæ V Y productæ in M. Ex conſtructione eſt ut E I ad I B, ita R C ad C I, ſed ut E I ad I B, ita Y V ad V B, & ita Y M, ad M E, ut autem R C ad C I, ita R S ad V I, ergo ut Y M ad M E, ita R S ad V I, Sunt autem rectæ M E, V I æquales propter parallelas,. ergo rectæ Y M, R S erunt æquales. Sunt autem æquales etiam rectæ E I, V M, ergo differentia inter rectas E I, & M Y erit recta V Y. Sed recta E I ex conſtructione æquatur curvæ O R, ergo differentia inter curvam O R & rectam M Y ſive ipſi æqualem R S æquabitur rectæ Y V. Quod primò erat probandum. Nec diſſimili ratiocinio procedet demonſtratio infrà applicatam E I, ductâ enim rectâ E P parallelâ axi, probabimus rectam Q P æqualem eſſe rectæ R F. Eſt enim ut E I ad I B hoc eſt Q H ad H B, hoc eſt, Q P ad P E, ita recta R C ad C I, hoc eſt, R F ad I H. Sunt autem æquales P E, I H, ergo & rectæ Q P, R F. Recta autem H Q æquatur rectis H P, P Q, quarum prior H P æquatur rectæ I E ſive curvæ O R, poſterior autem Q P æquatur ex demonſtratis rectæ R F. Ergo ſumma curuæ O R & rectæ R F eſt æqualis rectæ H Q quod ſecundo loco fuit probandum. Patet itaque rectam E B in puncto E ſecundam curvam tangere. Quod erat demonſtrandum.

Sit jam in 9. Fig. curva noſtra parabolica G K A cujus altitudo A E, ſemibaſis G E, rectum latus A D, cujus nona pars, ut ſuprà ſit C D & recta A G bifariam ſecetur in



Figura 9.

B: A priori hac curvâ formetur alia verſùs punctum G quæ ſit G N S occurrens axi prioris in S, & novæ hujus curvæ proprietas hæc ſit, ut ſumpto quovis puncto ut F, & erectâ perpendiculari F K N occurrente duabus curvis in K & N, recta F N ſit ſemper æqualis curvæ prioris portioni G K. Ducatur parallela baſi K M, & ad idem punctum K ducatur recta T K H tangens priorem & occurrens axi in T & baſi in H. Per punctum verò N in ſecundâ curvâ ducatur tangens R N X I occurrens baſi in I, & à punctis quibuſlibet in eâ ex utraque parte ſumptis ut R & X demittantur in baſim perpendiculares X Y & R V. Ex præcedentibus patet quadratum tangentis K T in priore curva ad quadratum FE, ſive quadratum KL ad quadratum F V, eſſe ſemper ut rectam FE unâ cùm recta AB ad ipſam AB. Sed ut quadratum K T ad quadratum F E ſive ad quadratum K M, ita quadratum KH ad quadratum H F propter parallelas, ergo quadratum K H eſt ad quadratum H F ut recta F E unâ cum A B ad A B. Ut autem quadratum K H, ad quadratum H F, ita ex præcedente propoſitione quadratum rectæ F N ad quadratum rectæ F I. (Cum enim cætera latera ex vi illius propoſitionis ſint proportionalia, erunt proportionalia & quadrata.) Ergo quadratum N F ad quadratum

N 2

FI eſt ut recta FE unâ cum AB ad AB, & componendo quadrata duo NF & FI ſive unicum quadratum NI erit ad quadratum FI ut FE unà cum AB bis ad AB. Sed ut quadratum NI ad quadratum FI, ita quadratum RN ad quadratum rectæ FV ex una parte, & ita quadratum rectæ NX ad quadratum rectæ FY ex altera. Ergo ſumpto quovis puncto in ſecunda hac curva ut N, eſt ſemper ut quadratum portionis tangentis ad illud punctum ductæ ex alterutra parte ad quadratum portionis baſis ipſi oppoſitæ, ita ſumma rectæ FE unà cum AB bis ad AB. Si igitur baſi GE ponatur in directum recta EO rectæ AB dupla, & ad punctum O erigatur perpendicularis OP ipſi AB æqualis, erit ſemper ut quadratum portionis NR in hâc ſecundâ curvâ ad quadratum portionis baſis FV, vel ut quadratum portionis tangentis NX ad quadratum portionis baſis FY, ita recta FO ad rectam OP.

His ita ſe habentibus, patet cæteras in infinitum curvas modo quem ſupra indicavimus deſcribendas ejus eſſe naturæ, ut in 3. v. g. quadratum portionis tangentis ad quadratum portionis baſis ipſi oppoſitæ, ſit ut portio baſis FE initium ſumens à puncto F in quod cadit perpendicularis à puncto contactus in baſim demiſſa, unâ cum rectâ AB ter ſumptâ ad ipſam AB. In quartâ curvâ erit ut quadratum portionis tangentis ad quadratum portionis baſis ipſi oppoſitæ ut recta FE unà cum AB quater ſumpta ad ipſam AB. Et ſic de reliquis in infinitum. Eadem enim ſemper demonſtratio, ut evidens eſt, in omnibus caſibus locum habet.

Nec difficilis hoc ſuppoſito ad theorema generale erit aditus.

PROPOSITIO VII.

Esto in Fig. 10. curva noſtra parabolica EA, cujus axis AI, ſemibaſis IE. ab eâ formetur ſecunda curva EXYZ ⊖ cujus ea ſit natura, ut ſuprà diximus, ut

Figura 10.



quævis applicata FX ſit æqualis portioni prioris curvæ ab applicata illa, ſeu mavis vocare perdendicularem, abſciſſæ. Dividatur baſis in quotlibet partes æquales EF, FG, GH, HI & ducantur à punctis F, G, H, perpendiculares ſecantes novam hanc ſecundam curvam in punctis X, Y, Z. Sit prioris curvæ rectum latus AD, à quo abſcindatur nona pars CD, & reliqua AC biſecetur in B. Rectæ AB bis ſumptæ fiat æqualis recta IK quæ ſit in directum baſi, & ad punctum K erigatur perpendicularis KL æqualis rectæ AB. Per punctum K & axem KE intelligatur deſcribi parabola ſim-

plex ſivè Archimedea cujus rectum latus KL & ſit illa parabola KMOQ. A punctis E, F, G, H, I ducantur perpendiculares ad axem & occurrentes huic parabolæ in punctis Q, P, O, N, M, Ex corollario præcedentis cum curva EX ⊖ ſit ſecunda curva à priore derivata ſeu formata eà ratione quam jam ſæpiùs explicuimus; ſequitur ſumpto in ea quolibet puncto ut Y, & ducta portione tangentis YT eſſe ut quadratum YT ad quadratum GH, ita rectam KG ad rectam KL: ſed ut recta GK ad rectam KL, ita ſingulis in rectam KL ductis rectangulum CKL ad quadratum KL. Ex natura autem parabolæ ſimplicis rectangulum GKL æquatur quadrato applicatæ GO; ergo quadratum YT eſt ad quadratum GH ut quadratum GO ad quadratum KL, ideóque ut recta YT ad rectam GH ita recta GO ad rectam KL: rectangulum itaque ſub extremis æquatur rectangulo ſub mediis, rectangulum ergo ſub GO, in GH æquatur rectangulo ſub KL in YT, Si igitur ducantur aliæ tangentes ER, XS & ZV occurrentes perpendicularibus in punctis R, S, V probabitur ſimiliter rectangulum ſub QE in EF æquari rectangulo ſub KL in ER, item rectangulum ſub PF in FG æquari rectangulo ſub KL in XS & ſic de reliquis in infinitum, unde tandem per abductionem ad methodum Archimedeam pari quod in 4. propoſitione hujus indicavimus artificio, conficietur & concludetur ſegmentum parabolicum EQMI æquari rectangulo ſub KL in ſecundam curvam EX⊖ ſicut & ſingula ſegmenta parabolica, EQPF, verbi gratiâ, rectangulo ſub KL in portionem curvæ EX, vel ſegmentum EQOG rectangulo ſub KL in portionem curvæ EXY & ſic in infinitum. Dantur autem in rectilineis hæc omnia ſegmenta parabolica ex vi quadraturæ parabolæ ab Archimede demonſtratæ; & datur etiam recta KL. Ergo dantur tam tota ſecunda curva EX⊖, quàm ipſius portiones EX, EY &c. per rectas perpendiculares ad puncta FG data abſciſſæ.

Ad tertiæ curvæ cum rectâ datâ æqualitatem, ſimilis fiet conſtructio, niſi quod recta IK ponetur tripla rectæ AB. In 4. curvâ eadem IK ponetur quadrupla rectæ AB. Et tandem generalis inter omnes iſtas in infinitum curvas a priore derivandas ita ſtatuetur ratio: erunt nempe ſingulæ inter ſe ut ſegmenta parabolica ejuſdem parabolæ, & ejuſdem altitudinis quæ à vertice parabolæ diſtabunt per rectum latus toties ſumptum quot erunt in ordine curvæ inter ſe comparandæ.

Exempli g. ſit in 11. Fig. curva noſtra parabolica EMA. Cujus axis AF, ſemibaſis EF, rectum latus AD, à quo dempta nona parte CD, reliqua AC biſecetur in B Et à prima illa curvâ formetur ſecunda EOS ejus naturæ ut ſumpto quolibet puncto



Figura 11.

in base N recta N O perpendicularis ad basim & occurrens curvis in M & O, sit æqualis portioni prioris curvæ E M. à secunda formetur tertia E V R in qua recta N V sit æqualis portioni secundæ curvæ E O. Item à tertia E V R formetur quarta E X L, in qua recta N X sit æqualis portioni tertiæ curvæ E V. Exponatur separatim parabola simplex sive Archimedea cujus axis infinitus G K Q Y, vertex G, rectum latus G H æquale rectæ A B. Quæritur ratio verbi gratiâ 4. curvæ E X L ad primam E M A. Quia prior ex istis est 4. ordine, ab axe abscindenda est G Y quadrupla recti lateris G H, deinde ponenda ipsi in directum recta Y Θ æqualis semibasi E F & ducendæ applicatæ rectæ Y T, Θ Λ. Quia verò posterior ex duabus comparandis est prima ordine, abscindenda est ab axe recta G K recto lateri semel tantùm æqualis, deinde ipsi ponenda in directum recta K Q semibasi etiam E F æqualis & ducendæ applicatæ K I, Q P. Erit ex demonstratis & canone generali ab illis deducto, ut segmentum parabolicum Y T Λ Θ ad segmentum parabolicum K I P Q, ita quarta curva E X L ad primam E M A. Sed ratio segmentorum parabolicorum inter se data est ex Archimede, ergo & ratio curvarum inter se data erit; data est autem prima ex demonstratis, datur igitur & quarta, & ipsi rectæ datæ æqualis assignari potest & perpetua illa ratio remota, si libeat, parabola ad phrasim Geometricam ope regulæ tantùm & circini accommodari. Quod autem de totis jam probatum & in canonem deductum est, idem de portionibus illarum curvarum inter se comparandis contingere beneficio segmentorum parabolicorum portiones semibasis ipsis curvarum portionibus oppositas pro altitudine habentium quis non videt?

Nihil autem nec de solidis ex dictis in infinitum curvis, conficiendis, nec de superficiebus ipsorum curvis, nèc de centris gravitatum aut linearum istarum, aut dictorum solidorum, aut superficierum curvarum adjungimus, cum methodi hac de re generales â summis & insignibus Geometris jam vulgatæ ista omnia post cognitam specificam curvæ datæ proprietatem ignorari non sinant, licet in multis casibus propriam ab unoquoque adjungi operi industriam non inutile futurum existimemus.

Sed antequam manum de tabula tollam succurrit examinanda sequens propositio.

Sit in Figura 12. curva nostra parabolica C O A, cujus vertex A, axis A B, semibasis C B. Ab ea formentur aliæ curvæ infinitæ modo quem jam explicuimus, non ex

Figura 12.



parte basis ut suprà, sed ex parte verticis. Sint illæ curvæ à prima effingendæ A I F, A G E &c. in infinitum eâ conditione ut sumpto quovis puncto in axe D & ducta ad axem perpendiculari D O I G secante curvas in punctis O, I, G, recta D I sit in

secunda curva semper æqualis portioni primæ curvæ A O, item recta D G in tertia curva sit semper æqualis portioni secundæ curvæ A I, & sic in infinitum. Hujusmodi omnes curvæ non solùm specie inter se & à prima A O C, different sed etiam ab ijs quas ex parte basis suprà effinximus. Quæritur ergo an curvæ illæ omnes A I F, A G E &c. sic in infinitum effingendæ, datis rectis, an verò alijs curvis sint æquales? Inquirant illud Geometræ, & miraculum augeri experientur.

Sanè si methodi quibus utuntur ad dimensionem curvarum, sint generales & sufficientes, quod ipsis affirmantibus in dubium revocare non ausim, primo statim obtutu rem factam habebunt, & a labore superfluo Geometram jam fatigatum liberabunt.

Si quid autem in superioribus demonstrationibus concisum nimis invenerint, id aut suppleant, rogo, aut condonent.

APPENDIX AD DISSERTATIONEM DE LINEARUM CURVARUM cum lineis rectis comparatione.

Vt ultimæ quam in Diſſertatione propoſuimus quæſtioni ſatisfiat, præmittendæ videntur propoſitiones ſequentes.

PROPOSITIO PRIMA.

SINT in figurâ primâ duæ curvæ A I F, 3 Z 8 quarum axes A E, 37 ſint inter ſe æquales. Ducantur autem ad axes applicatæ quotlibet quæ in utrâque figurâ æquali à vertice intervallo diſtent. Sint exempli gratiâ applicatæ prioris B M, C I, D H, E F: poſterioris verò applicatæ ſint 4 t, 5 2, 6 9, 7 8, & ſit recta A B quæ deſignat intervallum applicatæ B M à vertice, æqualis recta 43 quæ deſignat intervallum etiam applicatæ 4 t à vertice. Sit pariter C A æqualis 53. Item D A æqualis 63, denique E A, quod jam ſuppoſueramus, æqualis 73 Si ſingulæ ex applicatis ſint ſemper ad abſciſſas per tangentes ab axe, in ratione correlatarum, hoc eſt ſi ductis tangentibus ad puncta F, H, I, M, ex unâ parte, & ad puncta 8, 9, Z, T, ex alterâ ſemper contingat ut applicata F E, verbi gratia, ſit ad rectam K E quam tangens F K abſcindit ab axe, in eadem ratione, quæ eſt applicatæ 8 7 ad rectam 7 2 quam tangens 82 ab axe pariter abſcindit. Item applicata D H ſit ad abſciſſam ab axe per tangentem quæ ducitur ad punctum H ut applicata 69 ad abſciſſam ab axe per tangentem ad punctum 9. ductam & ſic de reliquis. Aio duas iſtas curvas A F, 3 z 8. eſſe inter ſe æquales, imò & ſimiles ideóque eaſdem, & applicatas unius figuræ applicatis alterius quæ à vertice æqualiter diſtant eſſe pariter æquales. Ductis enim ad puncta H, I, ut in primâ figurâ portionibus tangentium HO. I N, M R, quæ occurrant applicatis in punctis O, N, R. Item ductis portionibus tangentium in ſecundâ figurâ 9 V, Z Y, T X quæ occurrant applicatis in punctis V, Y, X: ex ſuppoſitione ut F E ad E K in primâ figurâ, ita eſt 87 ad 7 2 in ſecundâ: ſed anguli ad puncta E & 7 ſunt recti, ergo triangula F E K, 8 7 2 ſunt ſimilia: ut ergo F K ad K E, ita 8 2 ad 72. Sed ut F K ad K E ita (productâ applicatâ D H ad punctum G) recta F G ad rectam D E, & ut 82 ad 72 ita (productâ applicata 69 ad punctum P) recta 8 P ad 67. Ergo ut recta F G ad rectam D E, ita recta 8 P ad 67. Sunt autem rectæ DF.

67, æquales, cùm rectæ E A & 73, item rectæ D A & 63 ſint inter ſe æquales: ergo & portiones tangentium FG, 8 P erunt inter ſe æquales. Similiter probabimus portionem tangentis H O æqualem eſſe portioni tangentis 9 V, item portionem tangentis I N æqualem eſſe portioni tangentis Z Y, denique portionem tangentis M R æqualem eſſe portioni tangentis T X. Cum ergo ſeries tangentium in primâ figurâ ſit æqualis ſeriei tangentium in ſecundâ per abductionem ad impoſſibile more Archimedeo facilè concluditur curvam A I F, curvæ 3 Z 8 æqualem eſſe, quod primo loco fuit probandum, imò & pariter concluditur portiones curvæ correlatas eſſe inter ſe æquales, portionem nempè F H portioni 89, portionem curvæ H I portioni 9 Z, & ſic de reliquis. Supereſt probandum applicatas pariter unius figuræ applicatis alterius eſſe æquales. Cum ex ſuppoſitione applicatæ ſint ſemper ad abſciſſas ab axe per tangentes in eâdem utrobique ratione, ergo anguli G F E, P 8 7 qui fiunt ab interſectione tangentium & applicatarum erunt inter ſe æquales: Item anguli O H D, & V 9 6: Item anguli N I C, & Y Z 5: Denique anguli R M B, & X T 4. Cum ergo portiones omnes prioris curvæ F H, H I, I M, M A, ſint æquales portionibus poſterioris 8 9, 9 Z, Z T, T 3 ſingulæ ſingulis, imò & earumdem portionum ſit eadem utrobique inclinatio (inclinationem enim curvarum metiuntur tangentes quæ in utrâque figurâ æquales ſemper, ut probavimus, conficiunt angulos) ergo curvæ A M I H F, 3 T Z 9 8, non ſolùm ſunt inter ſe æquales, ſed etiam ſimiles: Undè ſi intelligantr altera alteri ſuperponi, congruent omninò, ideòque non ſolùm axes ſed applicatas æquales aut eaſdem potius habebunt. Quod ſecundo loco fuit demonſtrandum.

PROPOSITIO II.

Figuræ 2.

Sint duæ in ſecundâ figurâ parabolæ ejuſdem naturæ A O D, X I G, quarum axes ſint A C, X F, ſemibaſes D C, G F, & ſit verbi gratia ut cubus D C ad cubum applicatæ B O, ita quadratum C A ad quadratum B A: & ſimiliter ut cubus G F ad cubum applicatæ I Y, ita quadratum F X ad quadratum I X. (Licèt enim propoſitio ſit generalis à parabolâ noſtrâ non diſcedimus) ſit autem ut axis unius ad ſemibaſem, ita etiam axis alterius ad ſemibaſem nempè ut axis C A ad ſemibaſem D C, ita axis X F ad ſemibaſem G F. Aio duas haſce parabolas eſſe inter ſe in ratione axium, vel ſemibaſium, hoc eſt curvam A O D eſſe ad curvam X I G ut eſt axis A C ad axem X F, vel ut ſemibaſis C D ad ſemibaſem G F. Hæ quippe duæ rationes ex ſuppoſitione ſunt eædem. Demonſtratio eſt in promptu. Secetur enim uterque axis in quotlibet partes æquales, duas tantùm ad vitandam confuſionem & prolixitatem aſſumemus. Secetur ergo bifariam axis A C, in B, & axis F X in Y, & ductis applicatis B O, Y I ducantur ad puncta D, O, tangentes DN, OM quarum prior occurrat applicatæ BO in puncto E, poſterior verò rectæ A V applicatis parallelæ in puncto V. Item in altera figura ducantur ad puncta G, I, tangentes G K, I S, occurrentes applicatæ Y I & ipſi parallelæ X R in punctis H, R: ex ſuppoſitione eſt ut D C ad C A, ita G F ad F X. Sed ex natura iſtius paraboles recta C A eſt ad C N abſciſſam per tangentem ut 2. ad 3. Item recta F X eſt etiam ad rectam F K per tangentem abſciſſam ut 2. ad 3. Ergo ex æquo eſt ut D C ad C N ita G F ad F K. Sunt ergo æquiangula triangula D N C, G K F. Ergo ut D N, ad N C, ita G K ad K F. Sed ut D N ad N C, ita D E ad C B, & ut G K ad K F, ita G H ad F Y. Ergo ut D E ad C B, ita G H ad F Y. Similiter probabitur eſſe ut O V ad B A, ita I R ad X Y. Cum ergo portiones axium A B, B C ex una parte, & X Y, YF ex altera ſint inter ſe æquales, ergo ut omnes tangentium portiones D E, O V ad totum axem A C, ita omnes tangentium portiones G H, I R ad totum axem X F. Omnes autem portiones tangentium D E, & O V & plures, ſi opus ſit, beneficio abductionis ad impoſſibile ut iam ſæpiùs & indicatum & probatum eſt deſignant totam curvam D O A: Item omnes portiones tangentium G H, I R & plures etiam, ſi opus ſit, deſignant totam curvam G I X. Ergo ut curva D O A ad axem A C, ita curva G I X ad axem X F: Et viciſſim & convertendo, erit axis A C ad axem X F: ſive baſis D C ex ſuppoſitione ad baſim G F, ut curva D O A ad curvam G I X. Quod erat demonſtrandum.

PROPOSITI O III.

Figura 3. ESto in 3. Figura curva AO cujus axis AC, baſis C O, & ab ea intelligatur formari alia curva ejuſdem & axis & verticis in quâ applicatæ ſint ſemper in ratione applicatarum prioris curvæ, ſit nempè ut baſis C O, ad baſim C V, ita applicata B P prioris curvæ, ad applicatam B R poſterioris curvæ, & ita applicata D E ad applicatam D N & ſic in infinitum. Si ad punctum quodlibet prioris curvæ ut O ducatur tangens O H cum axe conveniens in puncto H, & continuetur C O, donec occurrat ſecundæ curvæ in V. Aio rectam quæ puncta V & H conjungit tangere ſecundam curvam, & ſemper contingere ut tangentes correlatæ in utraque curva ad idem punctum axi occurrant. Ducantur enim applicatæ B P R, D E N, occurrentes curvis in punctis P, R, E, N, & rectis O H, V H productis, in punctis Q, S, F, M. Si probaverimus rectam B S ſupra rectam CV ductam ſemper majorem eſſe rectâ B R: item rectam D M inferiùs ductam eſſe etiam ſemper majorem applicatâ D N, patebit rectam M V S H tangere ſecundam curvam in puncto V. Ex conſtructione ut C O ad C V, ita eſt applicata B P ad applicatam B R. Sed propter parallelas C O V, B Q S quæ ſecantur à tribus rectis C H, O H, V H ad idem punctum vergentibus, eſt etiam ut C O ad C V ita recta B Q ad rectam B S, ergo ut recta B P ad rectam B R, ita eſt recta B Q ad rectam B S, & viciſſim ut recta B P ad rectam B Q, ita eſt recta B R ad rectam B S. Cùm autem recta O Q H tangat priorem curvam in puncto O, recta B Q erit major recta B P, ergo etiam recta B S erit major recta B R. Quod primo loco fuit probandum. Nec diſſimilis in applicata inferiùs ſumpta erit demonſtratio. Ex ſuppoſitione enim eſt ut C O ad C V, ita D E ad D N, & propter parallelas eſt etiam ut C O ad C V, ita D F ad D M, ergo ut D E ad D N ita eſt D F ad D M; eſt autem D E minor D F, ergo & D N ipſa D M minor erit. Recta itaque M V S H in puncto V tangit ſecundam curvam.

Lemma ad id quod ſequitur.

Figura 4. SIT in 4. figura, parabole noſtra G I A cujus axis A E, ſemibaſis E F G tangens G H. Conſtituatur ad eumdem axem A E alia parabole ejuſdem naturæ F N A cujus ſemibaſis E F ſit poteſtate ſubdupla prioris ſemibaſis E G, & ſemper contingat applicatam quamvis, ut N O, applicatæ O I ad priorem curvam eſſe pariter poteſtate ſubduplam, Sit rectum prioris G I A paraboles latus recta A D, cujus nona pars ſit C D, & reliqua A C biſecetur in B. Ducatur ad ſecundam parabolen tangens ad punctum F recta F H. quæ in eodem puncto H cum axe conveniet non ſolùm ex vi propoſitionis præcedentis, ſed quia ex natura iſtarum parabolarum, in utraque, recta E A eſt ad rectam E H ut 2 ad 3. ex ſuperiùs demonſtratis. Aio quadratum F E eſſe ad quadratum E H ut eſt dimidia rectæ A B ad rectam E G. Jam enim in propoſitione tertiæ diſſertationis demonſtratum eſt quadratum G E eſſe ad quadratum E H ut eſt recta A B ad rectam E G. Ergo ſumptis antecedentium dimidiis erit ut quadratum E F quod ſuppoſuimus eſſe dimidium quadrati G E, ad quadratum E H, ita dimidia rectæ A B ad rectam G E. Probabimus pariter ſi recta F E ſit poteſtate ſubtripla rectæ G E, hoc eſt ſi quadratum F E ſit ſubtriplum quadrati G E, eſſe ut quadratum F E ad quadratum E H, ita tertiam partem rectæ A B ad rectam G E. Et ſic de ſubquadruplo ſubquintuplo & reliquis in infinitum. Cum autem in ratione ſubdupla probaverimus eſſe ut quadratum E F ad quadratum E H ita dimidiam A B ad rectam G E,

ergo componendo erit ut ſumma quadratorum F E, E H, ſive ut unicum quadratum F H ad quadratum E H, ita dimidia A B unà cum G E, ad ipſam G E.

Si verò recta E F ſit poteſtate ſubtripla rectæ G E, erit ut quadratum F H ad quadratum E H, ita tertia pars A B unà cum G E ad ipſam G E.

Si recta E F ſit poteſtate ſubquadrupla rectæ G E, erit ut quadratum F H ad quadratum E H, ita quarta pars A B unà cum E G ad ipſam E G, & ſic in infinitum, & in quacumque applicata idem continget.

PROPOSITIO IV.

HIS præmiſſis theorema generale haud difficulter detegimus.

Sit in figura 5. parabole noſtra A C cujus axis A B, ſemibaſis B C, & ab ea Figura 5.
formentur aliæ in infinitum curvæ A D, A E, A F quarum ea ſit proprietas ut ducta qualibet applicata B C D E F, recta B D ſit ſemper æqualis priori curvæ C A, recta B E æqualis ſecundæ curvæ A D, recta B F æqualis tertiæ curvæ A E, idque ſemper in omnibus ad illas curvas applicatis contingat. Aio omnes illas & ſingulas in infinitum curvas A D, A E, A F &c. eſſe ſemper datis lineis rectis æquales, perinde ac curvas quas in diſſertatione, diverſa & diſſimili ex parte baſis methodo conſtruximus.

Theorema generale ita ſe habet. Exponatur ſeparatim eadem parabole O 3 M æqualis omninò & ſimilis ipſi A C, cujus ideo axis M N æqualis eſt axi A B, & ſemibaſis O N, ſemibaſi B C. Separatim enim ad vitandam confuſionem figuram conſtruendam duximus. Fiat recta N P rectæ N M poteſtate dupla, recta N Q ejuſdem N M poteſtate Figura 6.
tripla, recta N R ejuſdem N M poteſtate quadrupla, & ſic in infinitum. Manente autem eadem ſemibaſi O N, conſtruatur parabole per vertices P, Q, R ejuſdem cum parabola O 3 M vel A C naturæ, & ſint illæ O 4 P, O 5 Q, O 6 R &c. Aio parabolam O 4 P curvæ A D eſſe æqualem; parabolam verò O 5 Q curvæ A E eſſe æqualem, denique parabolam O 6 R curvæ A F eſſe æqualem, & ſic in infinitum. Cum in noſtris parabolis O 4 P, O 5 Q, O 6 R ducta applicata 2 3 4 5 6, ſit ſemper ex natura dictarum parabolarum ut cubus rectæ O N ad cubum rectæ 4 2 ita quadratum rectæ ſive axis N P ad quadratum P 2: item ut cubus O N ad cubum 5 2 ita quadratum N Q ad quadratum Q 2: denique ut cubus O N ad cubum 6 2 ita quadratum N R ad quadratum R 2. Patet ex prædemonſtratis in diſſertatione, ſingulas ex iſtis parabolis, rectis datis æquales eſſe, ergo poſt demonſtrationem theorematis noſtri generalis conſtabit ſingulas quoque ex curvis A D, A E, A F rectis datis æquales eſſe.

Demonſtratio autem theorematis generalis hæc eſt. Sit rectum paraboles iſtius latus recta A S, à qua ſi demas nonam partem S Y, reliquam biſeca in puncto V & ad puncta C, D, E ducantur tangentes ad novas curvas C I, D H, E G quæ occurrant axi in punctis I, H, G. Ex demonſtratis in tertia diſſertationis propoſitione quadratum B C eſt ad quadratum BI ut recta A V ad rectam B C. Et componendo quadratum C I eſt ad quadratum B I ut recta A V unâ cum B C ad B C. Sed ex propoſitione ſexta Diſſertationis, ut eſt quadratum tangentis C I ad quadratum B I, ita quadratum rectæ B D ſe habet ad quadratum rectæ B H, quam abſcindit tangens D H: Ergo ut quadratum B D ad quadratum B H, ita recta A V una cum B C ad B C: Et componendo ut quadratum tangentis D H ad quadratum B H, ita recta A V unà cum B C bis ſumptâ ad ipſam B C. Sed ut quadratum tangentis D H, ad quadratum H B, ita ex eadem diſſertationis propoſitione quadratum B E eſt ad quadratum rectæ B G à tangente E G abſciſſæ: ergo ut quadratum rectæ B E ad quadratum rectæ B G, ita eſt recta A V unà cum B C bis ſumpta, ad ipſam B C. Similiter probabitur ſi ducatur ad curvam E A applicata Z T K, ſecans curvam AC in T, & intelligatur ad punctum K duci, tangens ad curvam AKE, eſſe pariter ut quadratum KZ ad quadratum rectæ, quam tangens per punctum K ducta ab axe abſcindit, ita rectam A V unà cum Z T bis ſumpta ad ipſam Z T. Et ſic ſemper continget.

Exponatur ſeparatim ad vitandam confuſionem eadem curva A K E, quæ ſit in figura ſeparata Β Φ Λ. Baſis Λ Δ ſit itaque æqualis baſi E B, tangens Λ Γ tangenti E G, axis Δ Β axi B A; abſciſſa per tangentem ab axe Δ Γ, abſciſſæ B G; applicata Ν Φ, applicatæ Z K. A B hac curva Λ Φ Β formetur alia ipſa minor Θ Π Β, ea conditione ut applicatæ novæ iſtius curvæ ſint ſemper ſubduplæ poteſtate applicatarum prioris, verbi gratiâ recta Δ Θ ſit ſubdupla poteſtate rectæ Δ Λ, item applicata Ν Π ſit ſubdupla poteſtate rectæ Ν Φ; & ſic de reliquis. Ducantur in hac nova curva tangentes ad puncta Θ, Π rectæ Θ Γ, Π 7. Ex præcedente tertia propoſitione patet tangentes Θ Γ, Λ Γ, ad idem punctum Γ cum axe concurrere. Item tangentes ad puncta Φ, Π ductas ad idem etiam punctum, verbi gratiâ, 7 cum axe concurrere, cùm applicatæ utriuſque figuræ ſint in eadem ſemper inter ſe ratione.

Exponatur adhuc ſeparatim parabole ejuſdem cum parabolis O M, O P &c. naturæ, cujus axi 9 8 ſit æqualis axi M N, ſive AB ſive Β Δ; ſemibaſis autem 8 X ſit ſubdupla poteſtate ſemibaſeos N O, ſive B C. Et ſit illa X 11 9, à qua formetur alia 9 12 Ψ, cujus idem ſit axis 9 8, applicata verò 8 Ψ ſit æqualis curvæ X 11 9: item applicata 10 11 12 ſit æqualis curvæ 11 9; & ſic de reliquis.

Probandum primò curvas Θ Π Β & Ψ 12 9, eſſe eaſdem, hoc eſt omninò æquales, & ſimiles. Quod ſic demonſtrabitur. Probavimus quadratum B E eſſe ad quadratum B G, ſive quadratum Λ Δ ad quadratum Δ Γ, ut rectam A V unà cum C B bis ſumpta ad rectam C B: Ergo ſumptis antecedentium dimidiis, cum poſuerimus rectam Θ Δ eſſe poteſtate ſubduplam rectæ Δ Λ, quadratum rectæ Θ Δ erit dimidium quadrati Λ Δ, ideóque ut quadratum Θ Δ ad quadratum Δ Γ, ita dimidia A V unà cum C B erit ad ipſam C B. Similiter probabimus in alia qualibet applicâta ut Π Ν, eſſe quadratum Π Ν ad quadratum Ν 7 ut dimidiam A V unà cum Z T ad ipſam Z T; & ſic de reliquis. Diſquirendum jam an eadem proprietas curvæ Ψ 12 9 conveniat: quod ita fiet. In curva X 11 9 cujus ſemibaſis X 8 eſt poteſtate ſubdupla ſemibaſis B C, & axis 8 9 æqualis axi A B, ex lemmate ſuperiori ductis tangentibus ad puncta X, Ψ rectis X Ρ, Ψ Σ quadratum X 8 eſt ad quadratum 8 Ρ ut dimidia rectæ A V ad rectam C B (recta enim X 8 eſt poteſtate ſubdupla rectæ C B) Ergo componendo quadratum X Ρ eſt ad quadratum 8 Ρ, ut dimidia A V unà cum C B ad ipſam C B. Similiter ſi intelligatur recta 9 10 æqualis rectæ A Z, hoc eſt ſi puncta 10 & Z æqualiter à vertice diſtent, quadratum tangentis ad punctum 11 ductæ erit ad quadratum abſciſſæ ab axe, ut dimidia A V unà cum recta Z T ad ipſam Z T. Sed ut quadratum X Ρ ad quadratum 8 Ρ, ita ex propoſitione ſexta diſſertationis eſt quadratum applicatæ Ψ 8 ad quadratum à tangente abciſſæ 8 Σ, & ſimiliter ut quadratum tangentis ad punctum 11 ductæ ad quadratum abciſſæ ab axe, ita quadratum applicatæ 12 10 ad quadratum abſciſſæ ab axe per tangentem ad punctum 12 ductam: Ergo ut quadratum Ψ 8 ad quadratum 8 Σ, ita dimidia A V unà cum B C ad B C. Sed in alia figura probavimus quadratum applicatæ Θ Δ eſſe ad quadratum abſciſſæ à tangente Δ Γ, ut eſt dimidia A V unà cum B C ad C B. Ergo in duabus curvis Ψ 12 9, Θ Π Β erit ut Ψ 8 ad abſciſſam 8 Σ, ita applicata Θ Δ ad abſciſſam Δ Γ. Et in omnibus aliis punctis idem ſemper continget, & eodem modo probabimus, nempe applicatam, verbi gratiâ, 10 12. eſſe ad abſciſſam à tangente ad punctum 12 ducta, ut eſt Π Ν ad Ν 7, & ſic de reliquis. Per primam itaque propoſitionem hujus appendicis cum curvæ 9 12 Ψ, Θ Π Β, habeant eumdem axem & applicatæ ſint ad abſciſſas ab axe per tangentes, utrobique in eadem correlatarum ratione, illæ curvæ erunt inter ſe æquales, & ipſæ etiam ipſarum ſemibaſes, & omnes ſimiliter applicatæ à vertice æquidiſtantes. Ex conſtructione autem ſemibaſis Ψ 8 eſt æqualis curvæ X 11 9: Ergo curva X 11 9 eſt æqualis rectæ Θ Δ. Recta autem Θ Δ eſt poteſtate ſubdupla rectæ Δ Λ ex conſtructione: Ergo curva parabolica X 11 9 eſt poteſtate ſubdupla rectæ δ λ: recta autem δ λ eſt æqualis rectæ B E, & recta B E ſuppoſita eſt in conſtructione curvarum à primaria A C derivatarum æqualis eſſe curvæ A D: Ergo parabola X 11 9 eſt ſubdupla poteſtate curvæ A D. Sed eadem curva X 11 9 eſt ſubdupla poteſtate parabolæ O 4 P; baſis enim X 8 eſt facta poteſtate ſubdupla baſeos B C ſive N O, & ſimiliter axis 8 9 ſive A B, ſive N M eſt poteſtate ſubduplus axis N P: Cum ergo parabolæ O 4 P, X 11 9 ſint ejuſdem naturæ, & tam axis quàm baſis parabolæ X 11 9 ſint poteſtate ſubduplæ axis & baſis parabolæ O 4 P: Ergo & ipſa parabola X 11 9 ex propoſitione ſecunda hujus appendicis erit ſubdupla parabolæ O 4 P. Cum ergo ut iam probavimus eadem parabola X 11 9 ſit ſubdupla tam parabolæ O 4 P, quàm curvæ A D; curva A D, & ipſa parabola O 4 P erunt inter ſe æquales; quod erat demonſtrandum. Nec diſſimili ad probandum curvam A E æqualem eſſe parabolæ O 5 Q, utendum artificio.

Cum enim quadratum B E eſſe ad quadratum B G ut eſt recta A V unà cum B C bis ſumpta ad ipſam B C, probatum fuerit; ergo componendo & ulteriùs progrediendo erit quadratum tangentis E G ad quadratum rectæ B G, ut recta A V unà cum B C ter ſumpta ad ipſam B C. Eſt autem ex prædemonſtratis in ſexta propoſitione diſſertationis ut quadratum E G ad quadratum B G, ita quadratum B F, ad quadratum abſciſſæ ab axe per tangentem ad punctum F ductam: Ergo quadratum B F erit ad quadratum illius abſciſſæ ut eſt recta A V unà cum B C ter ad B C. In reliquis imitabimur omninò & ſequemur veſtigia demonſtrationis præcedentis, niſi quod in figura ſeparata poſtquàm Λ Δ fuerit facta æqualis ipſi, B F, recta Δ ϑ fiet ſubtripla poteſtate ipſius B F vel Δ Λ; curva Λ Φ Β curvæ F A fiet æqualis; curva θ π β ejus erit naturæ ut omnes applicatæ ſequantur rationem baſium Λ Δ θ δ. In alia autem figura ſeparata in qua curvæ 9 11 X & 9 12 Ψ, recta 9 8 erit æqualis ut ſuprà, rectæ N M, vel A B, vel Β Δ, baſis verò 8 X fiet ſubtripla poteſtate baſis O N vel C B. Et fiet X 11 9 parabola ejuſdem cum parabolis C T A, vel O 3 M naturæ à qua cum formabitur curva Ψ 12 9 cujus applicatæ 8 Ψ, 10 12 ſint, ut ſuprà, æquales curvis X 9, 11 9. Probabimus, ut ſuprà, curvam β π θ, & curvam 9 11 X eſſe inter ſe æquales, & ſimiles, hoc eſt eaſdem. Unde concluditur baſes Θ Δ, & Ψ 8 eſſe æquales, ideoque baſem Ψ 8 ſive curvam 9 11 X eſſe poteſtate ſubtriplam rectæ δ λ, ſive B F, ſive curvæ A E. Eſt autem etiam ex prædemonſtratis parabola X 11 9 ſubtripla poteſtate parabolæ O 5 Q: Ergo curva AE & parabola O 5 Q erunt inter ſe æquales. Eodem ratiocinio in ulterioribus caſibus utemur, & generalem noſtri theorematis veritatem evincemus.

Qui autem ſuperiorem diſſertationem & hanc ad ipſam appendicem accuratiùs legerint, præcipua methodi noſtræ fundamenta ſtatim agnoſcent, & ex eis deduci facillimam curvarum dimenſionem deprehendent.

DE SOLUTIONE PROBLEMAtum Geometricorum per curvas ſimpliciſsimas, & unicuique problematum generi propriè convenientes.

DISSERTATIO TRIPERTITA.

PARS I.

VT conſtet Carteſium in Geometricis etiam hominem eſſe, quod paradoxum meritò forſan quis dixerit, videant ſubtiliores Carteſiani an mendum contineat linearum curvarum in certas claſſes aut gradus Carteſiana diſtributio, & an probabilior & commodior ſecundùm veras analyſeos Geometricæ leges debeat aſſignari. Quod ſine diſpendio famæ tanti & tam celebris viri executuros nos cenſemus, cum Carteſii & Carteſianorum omnium interſit veritatem cujus fautores ſe non immeritò jactant acerrimos, licèt ipſorum placitis aliquantisper adverſetur, omnibus aut (ſi generale hoc nimis) Geometris ſaltem & Analyſtis fieri manifeſtam.

Problematum Geometricorum in certas claſſes diſtributio, non ſolùm veteribus, ſed & recentioribus neceſſaria viſa eſt Analyſtis. Proponatur videlicet A + D æquari B, aut A quadratum + B in A æquari Z plano. Hæ duæ æquationes quarum prior radicem aut latus ignotum ſuis terminis non excedit, poſterior autem lateris ignoti ſecundam poteſtatem ſive quadratum continet, primum & ſimplicius problematum genus conſtituunt. Ea verò ſunt problemata quæ plana Geometris dici conſueverunt. Secundum problematum genus illud eſt in quo quantitas ignota ad tertiam vel ad quartam poteſtatem, hoc eſt ad cubum vel ad quadratoquadratum pertingit. Ratio autem cur duæ poteſtates proximæ licèt diverſi gradus ſint, unum tamen tantùm conſtituant problematum genus, hæc eſt, quod æquationes quadraticæ reducuntur ad ſimplices aut laterales facili, quæ & veteribus & novis cognita eſt, methodo, ideoque per regulam & circinum nullo negotio reſolvuntur. Æquationes autem quarti gradus ſive quadratoquadraticæ reducuntur ad æquationes tertij gradus ſive cubicas beneficio novæ, quam Vieta & Carteſius prodiderunt, methodi. Huic enim operi Vieta ſubtilem illam & ſibi peculiarem climacticam paraplerosin deſtinavit, ut apud eum videre eſt cap. 6. libelli de emendatione æquationum, nec abſimili in pari caſu uſus eſt artificio Carteſius, licèt aliis verbis illud enunciet.

Similiter quoque cubocubicam æquationem ad quadratocubicam ſive æquationem ſexti gradus ad æquationem quinti deprimet, licèt aliquanto difficiliùs, Vietæus aut Carteſianus Analyſta. Ex eo autem quòd in prædictis caſibus, in quibus una tantùm ignota quantitas invenitur æquationes graduum parium ad æquationes graduum imparium proximè minorum deprimuntur, idem omnino contingere in æquationibus in quibus duæ ignotæ quantitates reperiuntur confidenter pronunciavit Carteſius paginâ 323. Geometriæ linguâ Gallicâ ab ipſo conſcriptæ. Hujuſmodi verò ſunt æquationes omnes linearum curvarum conſtitutivæ, in his enim non ſolùm prædicta reductio vel depreſſio non ſuccedet, ut Carteſius affirmabat, ſed eam omnino impoſſibilem Analyſtæ experientur. Proponatur v. g. æquatio paraboles quadratoquadraticæ conſtitutiva in qua A quadratoquadratum æquatur Z ſolido in E, qua ratione æquatio hæc quarti gradus deprimetur ad tertium? quo utentur remedio climacticæ paraplerosеos artifices?

Quantitatibus autem ignotis characteres vocalium juxta Vietam aſſignamus, hæc enim levia & prorſus arbitraria cur immutarit Carteſius non video.

Ut autem pateat diſquiſitionem hanc aut animadverſionem non eſſe otioſam & inutilem, ſuppetit methodus univerſalis quâ problemata quæcumque ad certum curvarum gradum reducimus.

Proponatur namque problema in quo quantitas ignota ad tertiam vel ad quartam poteſtatem aſcendat, illud per ſectiones conicas quæ ſunt ſecundi gradus expediemus; ſed ſi æquatio ad quintam vel ad ſextam poteſtatem aſcendat, tunc ſolutionem per curvas tertij gradus poſſumus exhibere: ſi æquatio ad ſeptimam vel ad octavam poteſtatem aſcendat, ſolutionem per curvas quarti gradus exhibebimus, & ſic uniformi in infinitum methodo. Unde evidens fit non hic de nomine tantùm, ſed de re agitari quæſtionem. Proponatur in exemplum A cubocubus + B planoſolidum in A æquari Z ſolido ſolido Aut, ſi velis, A quadratocubus + B planoplanum in A æquari Z plano ſolido, in utroque hoc caſu problema ſolvemus per curvas tertij gradus ſeu cubicas, quod & fecit Carteſius. Sed ſi proponatur A quadratocubocubus + B planoplanoſolidum in A æquari Z planoſolido ſolido. Aut A quadratoquadratocubus + B ſolido ſolido in A æquari Z plano planoſolido, tunc problema ſolvemus per curvas quarti gradus ſeu quadratoquadraticas quod nec fecit nec fieri poſſe exiſtimavit Carteſius, cum in hoc caſu ad curvas quinti vel ſexti gradus neceſſariò recurrendum crediderit. Puriorem certe Geometriam offendit qui ad ſolutionem cujuſvis problematis curvas compoſitas nimis & graduum elatiorum aſſumit, omiſſis propriis & ſimplicioribus, cum jam ſæpe & à Pappo, & à recentioribus determinatum ſit non leve in Geometria peccatum eſſe quando problema ex improprio ſolvitur genere. Quod ne accidat, corrigendus eſt Carteſius & ſingula problemata ſuis hoc eſt propriis & naturalibus ſedibus reſtituenda: ſed & pag. 322. idem Carteſius diſertè aſſerit curvas ex interſectione regulæ & alterius aut rectæ aut curvæ oriundas eſſe ſemper elatioris gradus aut generis, quàm eſt recta aut curva in figura pag. 321. ex qua derivantur. Intelligatur, ſi placet in locum ipſius rectæ C N K in dicta figura pag. 321. ſubſtitui parabolam cubicam cujus vertex ſit punctum K & axis indefinitus K L B A & cætera conſtruantur ad mentem Carteſii. Patet æquationem dictæ parabolæ cubicæ conſtitutivam eſſe ſequentem A cub. ex una parte, & B quad. in E ex altera. experiere autem ſtatim curvam E C ex hujuſmodi poſitione provenientem ad æquationem tantùm quadratoquadraticam aſcendere, ergo curva quadratoquadratica eſt elatioris gradus aut generis, quàm curva cubica ſecundùm prædictam Carteſij definitionem, cum tamen contrarium pag. 323. expreſſe idem Carteſius definierit, curvam nempe quadratoquadraticam & curvam cubicam eſſe unius & ejuſdem gradus aut generis. Methodum autem noſtram qua omnia in infinitum problemata, ea nempe quorum æquationes tertiam & quartam poteſtatem continent, ad ſecundum curvarum gradum: quæ quintam & ſextam poteſtatem, ad tertium: quæ ſeptimam & octavam, ad quartum reducimus, & eo in infinitum ordine exhibere non differemus quotieſcumque id voluerint quibus piaculum videtur errores quoſcumque vel etiam Carteſianos in præjudicium veritatis diſſimulare.

Nec moveat problemata quæ ad ſecundam poteſtatem aſcendunt & quæ ejuſdem cum problematis primi gradus ſint ſpeciei & plana dicuntur, circulis hoc eſt curvis ſecundi gradus indigere; ſuum enim & proprium; huic objectioni reſponſum non deerit cum methodum noſtram generalem omnia omnino problemata per curvas convenientes abſolventem proferemus.

DISSERTATIONIS
PARS II.

UT datæ publicè fidei ſatisfiat, methodum generalem ad ſolvenda quæcumque problemata per curvas proprias & convenientes exhibemus. Prædictum eſt jam in prima diſſertationis parte problemata duorum graduum inter ſe proximorum 3^{i} verbi gratia & 4^{i}. 5^{i}. & 6^{i} 7^{i}. & 8^{i}. 9^{i}. & 10^{i}. &c. unicum tantùm curvarum gradum reſpicere, problemata nempe quæ ad tertiam vel quartam poteſtatem aſcendunt, ſolvi per curvas 2^{i}. gradus: ea verò quæ ad quintam vel ad ſextam poteſtatem aſcendunt ſolvi per curvas 3^{i}. gradus &c. in infinitum.

Modus autem operandi talis eſt. Data quævis æquatio in qua unica tantùm reperitur ignota quantitas reducatur 1^{o}. ad gradum elatiorem ſive parem: deinde ab adfectione ſub latere omnino liberetur, quo peracto remanebit æquatio inter quantitatem cognitam vel homogeneum datum ex una parte, & aliquod homogeneum incognitum cujus ſingula membra à quadrato lateris incogniti adficientur ex una parte, ex altera homogeneum iſtud incognitum æquetur quadrato cujus latus effingendum eo artificio ut in æquatione ipſius quadrati cum homogeneo incognito elatiores quantum fieri poterit lateris ignoti gradus evaneſcant. Cavendum etiam ut ſingula lateris quadratici ſic effingendi homogenea à radice vel latere ignoto adficiantur, & ultimum tandem ex illis à ſecundâ etiam radice incognita adficiatur. Orientur tandem beneficio diviſionis ſimplicis ex una parte, & extractionis lateris quadrati ex altera, duæ æquationes linearum curvarum problemati dato convenientium conſtitutivæ, & earum interſectio ſolutionem problematis exhibebit ea qua dudum uſi ſumus in ſolutione problematum per locos methodo.

Exemplum proponatur, ſi placet, A cub. cub. + B in A qu. cub. + Z. plan. in A quad. quad. + D ſolid. in A cub. + M. plan. plan. in A quad. æquari N. ſol. ſol. problemata quippe omnia quæ ad quintam vel ad ſextam poteſtatem aſcendunt ad hanc formam reduci poſſunt. Nihil enim hoc aliud eſt quàm vel quintam poteſtatem ad ſextam evehere vel eam deinde ab ultima adfectione ſub A vel latere liberare, quæ omnia & Vieta & Carteſius abundè docuerunt.

Effingatur itaque quadratum à latere A cub. + B in A in E & æquetur priori primum illius æquationis parti. Fiet itaque A cub. cub. + B in A qu. qu. in E bis + B qu. in A qu. in E qu. æquale A cub. cub. + B in A qu. cub. + Z pl. in A qu. qu. + D ſol. in A cub. + M pl. pl. in A qu. & deleto utrinque A cub. cub. & reliquis per A qu. diviſis quod ex cautione adjectâ methodo ſemper liberum eſt, remanebit æquatio inter B in A cub. + Z planum in A qu. + D ſol. in A + M pl. pl. ex una parte, & B in A qu. in E bis + B qu. in E qu. ex altera. Hæc autem æquatio, ut patet, dat curvam 3^{i}. gradus.

Quia autem ut conſtituatur duplicata æqualitas & commodè ad ſolutionem problematis deveniatur, æquandum etiam eſt quadratum à latere A cub. + B in A in E poſteriori

riori prioris æquationis parti, hoc eſt N ſol. ſol. ergo per extractionem lateris quadrati, latus quadratum N ſol. ſol. quod facilè datur & dicatur, ſi placet N ſol. æquabitur A cub. + B in A in E, quod eſt latus quadrati prioris æquationis primum datæ parti æqualis. Habemus igitur hanc ſecundam æquationem inter ſol. N & A cub. + B in A in E quæ dabit pariter curvam tertii gradus. Quis deinde non videt interſectionem duarum curvarum jam inventarum dare valorem ipſius A, hoc eſt problematis propoſiti ſolutionem?

Si problema ad ſeptimam vel ad octavam poteſtatem aſcendat ſtatuetur primò ſub forma octavæ poteſtatis, deinde ab adfectione ſub latere omnino liberabitur hoc pacto. Eſto itaque poſt legitimam ex jam præſcripta methodo reductionem, A qu. cub. cub. + B in A qu. qu. cub. + D pl. in A cub. cub. + N ſol. in A qu. cub. + M pl. pl. in A qu. qu. + G pl. ſol. in A cub. + R ſol. ſol. in A qu. æquale Z pl. ſol. ſol.

Effingetur latus quadrati cuilibet iſtius æquationis parti æquandi à latere A qu. qu. + B $\frac{1}{2}$ in A cub. + D pl. in A in E.

Secundum autem hujus lateris quadratici homogeneum eo artificio effinximus ut duæ elatiores lateris vel radicis A poteſtates in æquatione omnino evaneſcant, quod perfacile eſt. Quadratum igitur illius lateris ſi æques priori æquationis propoſitæ parti, deletis communibus & reliquis per A qu. diviſis, orietur æquatio curvæ 4^{i}. gradus conſtitutiva ex una parte.

Deinde poſt extractionem lateris quadrati ex altera æquationis primùm propoſitæ parte latus Z pl. ſol. ſol. quod P pl. pl. dicere licet, æquabitur A qu. qu. + B $\frac{1}{2}$ in A cub. + D pl. in A in E, hæc verò æquatio dabit etiam aliam 4^{i}. gradus curvam, & harum duarum curvarum interſectio dabit valorem A, hoc eſt problematis propoſiti ſolutionem.

Notandum porro in problematibus quæ ad nonam aut decimam poteſtatem aſcendunt, ita effingendum latus quadrati ut in eo ſint quatuor ad minus homogena quorum beneficio evaneſcant tres elatiores lateris ignoti gradus. In problematibus autem quæ ad undecimam aut duodecimam poteſtatem aſcendunt latus effingendi quadrati conſtare debere quinque ad minus homogeneis, ita formandis ut eorum beneficio quatuor elatiores lateris ignoti gradus evaneſcant. Perpetuâ autem & facillimâ methodo, hæc lateris quadrati effingendi forma per ſolam & ſimplicem diviſionem vel applicationem ut verbis geometricis & in re purè geometricâ utamur expediri Analyſtæ experiendo deprehendent, & characterum + & − variatio nullum methodo præjudicium eſt allatura.

Cum autem problemata quæ ad ſecundam poteſtatem aſcendunt per extractionem lateris quadrati reducantur pura, ut notum eſt, per lineas primi gradus, hoc eſt rectas, expedientur, & vana evadet quam in priore diſſertationis iſtius parte metueramus objectio cùm extractionem radicis quadratæ tanquam notam & obviam in quolibet problematum genere ex noſtra methodo uſurpandam ſuppoſuerimus.

Non latebit igitur deinceps accurata & ſimpliciſſima problematum Geometricorum per locos proprios a curvis variæ, prout expedit, ſpeciei oriundos, reſolutio & conſtructio. Variare autem curvas ſalvo ſemper & retento naturali problematis genere, liberum erit Analyſtis, & ſemper problemata 8^{i}. aut 7^{i}. gradus per curvas 4^{i}. problemata 10^{i}. aut 9^{i}. per curvas 5^{i}. problemata 12^{i}. & 11^{i}. per curvas 6^{i}. & ſic uniformi in infinitum methodo expedientur. Cum contra per Carteſium problemata 8^{i}. aut 7^{i}. gradus curvis 5^{i}. aut 6^{i}. indigeant: problemata 10^{i}. aut 9^{i}. curvis 7^{i}. aut 8^{i}. problemata 12^{i}. aut 11^{i}. curvis 9^{i}. aut 10^{i}. & ſic in infinitum, quod quàm longe à ſimplicitate & veritate geometricâ abſit, videant ipſi Carteſiani, aut ſi ita viſum fuerit, contradicant.

Veritatem enim tantùm inquirimus, & ſi in ſcriptis tanti viri alicubi deliteſcat, eam libenti ſtatim animo & amplectemur & agnoſcemus. Tanta me ſanè, ut verbis alienis utar, hujus portentoſiſſimi ingenii inceſſit admiratio, ut pluris faciam Carteſium errantem quam multos κατορθοῦντας.

DISSERTATIONIS
PARS III.

HÆc ad generalem Doctrinam fortasse sufficiant, quæ enim problemata Cartesius per gradus curvarum elatiores determinat expedienda, ea nos generali methodo ad curvarum gradum duplo minorem feliciter depressimus. Quod ita tamen intelligi debere pronunciamus, ut id saltem auxilium omnes omnino quæstiones admittant. Majus quippe infiniti casus speciales non recusant, juvat itaque ulterius expatiari & Analysin Cartesianam non solùm ad terminos duplo minores, sed ad quadruplo, sextuplo, decuplo, centuplo &c. in infinitum aliquando minores deprimere ut tantò magis error Cartesianus detegatur & proprium statim ab Analysi remedium consequatur: potestates autem per numeros ipsarum exponentes designare in gradibus elatioribus, deinceps commodiùs erit.

Proponatur invenire sex continuè proportionales inter duas datas. Sint duæ datæ B & D, prima inveniendarum ponatur A, fiet æquatio inter A^7 & $B^6 D$. Hæc æquatio secundùm Cartesium per curvas 5^i tantùm aut 6^i gradus solvi potest. Nos eam per curvas 4^i gradus in secundâ hujus dissertationis parte sicut reliquas etiam ejusdem naturæ generaliter resolvimus. Sed nihil vetat quominùs eam per curvas 3^i gradus resolvamus. Æquentur quippe singuli æquationis termini homogeneo sequenti $A^4 E^2 D$, æquabitur ex una parte A^7 & divisis omnibus per A^4 manebit D æquatio inter $E^2 D$ & A^3 quæ dat, ut patet, curvam 3^i gradus. Ex altera verò parte $A^4 E^2 D$ æquabitur $B^6 D$, & omnibus per D divisis & reliquis subquadraticè depressis, manebit æquatio inter $A^2 E$ & B^3 quæ dabit etiam curvam 3^i gradus. Harum autem duarum curvarum intersectio dabit valorem A, hoc est problematis propositi per curvas 3^i gradus solutionem.

Sed proponatur inter duas datas invenire duodecim medias proportionales continuè, æquatio erit inter A^{13} & $B^{12} D$, eam autem Cartesius solvi tantùm per curvas 11^i. aut 12^i. gradus solvi posse existimavit. Nos generaliter ut similes quasvis ejusdem gradus eam in secunda hujus dissertationis parte per curvas 7^i gradus solvi posse docuimus. Sed ulteriùs inquirenti occurrit statim elegans per curvas 5^i gradus solutio, imò & datur per curvas 4^i, ut infra videre est: æquentur primùm singula hujus æquationis membra homogeneo $A^8 E^4 D$, ex una parte nempe A^{13}, & ex altera $B^{12} D$, in prima omnibus per A^8 divisis, fiet æquatio inter A^5 & $E^4 D$ quæ dat curvam 5^i. gradus ut patet. In secunda omnibus per D divisis & per quartam potestatem sive quadratoquadratum depressis, remanebit æquatio inter $A^2 E$ & B^3 quæ dat curvam 3^i gradus. Per duas itaque curvas quarum una est 5^i. gradus, altera 3^i. problema propositum expedimus.

Sed idem etiam problema faciliùs, hoc est, per curvas 4^i. gradus construere possumus; æquentur singula æquationis membra $A^9 E^3 D$ fiet illinc post divisionem per A^9 A^4 æquale $E^3 D$, quæ æquatio dat curvam 4^i. gradus, istinc vero omnibus per D divisis, & deinde per tertiam potestatem sive cubum depressis fiet æquatio inter $A^3 E$ & B^4 quæ dabit etiam curvam 4^i. gradus. Problema itaque per duas 4^i. gradus curvas facillimè construimus.

Qui hæc exempla viderit, non poterit dubitare quin inventio trigesima mediarum continuè proportionalium per curvas 7^i, imò & per curvas 6^i. possit expediri. Æquatio nempe inter A^3 & $B^3 D$ communi termino $A^{24} E^6 D$ æquabitur, unde problema per curvas 7^i. gradus expedietur, aut communi termino $A^{25} E^5 D$ æquabitur, unde manabit solutio per curvas 6^i. gradus. Sic inventio 72 mediarum solvetur per curvas 9^i. gradus, & patet ex præmissis posse assignari rationem inter gradum problematis & gradum curvarum illud solventis omni datâ ratione majorem. Quod cum viderint Cartesiani, non dubito quin necessitati & admonitionis & emendationis nostræ subscribant. Advertendum autem

immutandam sæpe esse ipsam æquationis formam ut commodam per partes aliquotas divisionem homogenea ipsa recipiant, quod semel monuisse sufficiet. Proponatur videlicet inventio decem mediarum & sit æquatio inter A^{11} & $B^{10} D$, ducatur quodlibet ex homogeneis in rectam datam verb. grat. Z, ut sit æquatio inter $A^{11} Z$ & $B^{10} D Z$, ita enim ad numerum 12 pervenietur cujus ope facillima per partes aliquotas evadet reductio aut depressio, æquetur videlicet quodlibet ex homogeneis $A^8 E^4$ illinc orietur æquatio inter $A^3 Z$ & E^4 quæ dat curvam 4^i gradus. Istinc verò beneficio extractionis lateris quadratoquadratici inter $A^2 E$ & latus quadratoquadraticum homogenei dati $B^{10} D Z$, quod, si placet, sit N solidum, quæ æquatio dat curvam 3^i gradus, atque ita invenientur 10. mediæ per duas curvas quarum altera est 4^i. altera vero 3^i. gradus. Quod per levem illam prioris æquationis immutationem facillimè sumus executi. Nec moror infinita alia quæ Analystis ars ipsa abunde suppeditabit compendia; Hoc tantùm adjungo ea omnia quæ superiùs diximus non solum locum habere cum potestas ignota nullum aliud sub gradibus inferioribus adfectum continet homogeneum, sed etiam si aliqua ex homogeneis à gradibus potestati proximioribus adficiantur ut si $A^{13} + N A^{12} + M A^{11} + R A^{10}$ æquetur $B^{12} D$, solutio hujus quæstionis perinde facilis reddetur communi adsumpto æquationis homogeneo quo supra usi sumus, nempe $A^9 E^3 D$, ac si inveniendæ 12 mediæ inter duas datas proponerentur. Simili autem in æquationibus ab altioribus gradibus adfectis utemur artificio.

Notandum tamen in æquationibus in quibus una tantùm reperitur ignota quantitas ex una parte, exponentem potestatis illius puræ debere esse numerum primum ut ab eo gradus illius problematis designetur. Si enim exponens ille sit numerus compositus, problema ad gradus numerorum qui eum metiuntur statim devoluetur. Quærantur, exempli gratiâ, 8 mediæ continuè proportionales inter duas datas, fiet æquatio inter A^9 & $B^8 D$, quo casu cum numerus 9. sit compositus à numero 3. bis mensuratus, inferetur problema esse 3^i. gradus, quod quidem ita se habet, si enim inter duas datas reperiantur duæ mediæ, & rursus inter primam & secundam, secundam & tertiam, tertiam & quartam reperiantur similiter duæ mediæ, fient 8 mediæ inter duas primùm propositas lineas. Si quærantur 14. mediæ inter duas datas, æquatio quæ est inter A^{15} & $B^{14} D$ indicabit problema devolui ad alia duo problemata quorum unum est 3^i gradus, alterum 5^i. unde apparet exponentem puræ potestatis debere esse numerum primum ut verè gradum problematis exprimat & designet.

Cum autem numeros à binario quadraticè in se ductos & unitate auctos esse semper numeros primos apud me constet & jam dudum Analystis illius theorematis veritas fuerit significata, nempe esse primos 3. 5. 17. 257. 65537. &c. in infinitum, nullo negotio inde derivabitur methodus cujus beneficio problema construemus cujus gradus ad gradum curvarum ipsius solutioni inservientium rationem habeat datâ quavis majorem. Proponatur namque inter duas datas invenire 256 medias continuè proportionales fiet æquatio inter A^{257} & B^{256} & singuli termini æquabuntur sequenti $A^{240} E^{16} D$, & mox quæstio per curvas 17^i gradus expedietur, si quærantur mediæ 65536 quæstio per curvas 257 gradus solvetur, & sic in infinitum gradus majoris numeri deprimetur ad gradum numeri proximè minoris. Inter duos autem proximos rationem in infinitum augeri quis non videt? An ergo errasse Cartesium ulteriùs Cartesiani dissimulabunt, ego sanè ἐπέχω & quid statuendum hac de re sit sollicitus & tacitus expecto.

PORISMATUM EUCLIDÆORUM
Renovata Doctrina, & sub formâ Isagoges recentioribus Geometris exhibita.

ENUMERAVIT Pappus initio libri septimi libros veterum Geometrarum ad τόπον ἀναλυόμενον pertinentes : qui omnes cùm temporis injuriâ perierint, exceptis unico datorum Euclidis libello & quatuor prioribus conicorum Apollonii, elaborandum Neotericis Geometris maximè fuit ut damnum operum, quæ tentavit edax abolere vetustas, aliquantisper resarcirent; & primò quidem subtilissimus ille, nec unquam satis laudatus Franciscus Vieta Apollonii περὶ ἐπαφῶν libros unico, quem Apollonium Gallum inscripsit, libello feliciter restituit; cujus exemplo se ad eamdem provinciam Marinus Ghetaldus,& VVillebrordus Snellius accingere non dubitarunt, nec defuit proposito eventus, libros enim Apollonii λόγου ἀποτομῆς, χωρίου ἀποτομῆς, διωρισμένης τομῆς & νεύσεων illorum beneficio vix amplius desideramus. Sequebantur loci plani, loci solidi, & loci ad superficiem. At huic quoque parti non ignoti nominis Geometræ succurrerunt: eorumque opera manuscripta licèt, & adhuc inedita latere non potuerunt. Sed supererat tandem intentata, ac velut desperata porismatum Euclidæorum doctrina .Eam quamvis opus artificiosissimum, ac perutile ad resolutionem obscuriorum problematum Pappus asserat, nec superioris nec recentioris ævi Geometræ vel de nomine cognoverunt, aut quid esset solummodò sunt suspicati. Nobis tamen in tantis tenebris dudum cæcutientibus, & quâ ratione in hac materiâ Geometriæ opitularemur elaborantibus, tandem se clara videndam obtulit, & purâ per noctem in luce refulsit; nec debuit inventi novantiqui specimen posteris invideri, postquam enim Suevicum sydus omnibus disciplinis illuxit, frustra scientiarum arcana tanquam mysteria quædam abscondamus, nihil quippe impervium perspicacissimo incomparabilis Reginæ ingenio, nec fas censemus occultare doctrinam quam vel unico duntaxat aut inspirantis, aut mandantis nutu, quandocunque libuerit, detectam iri vix possumus dubitare. Ut autem clariùs se prodat totum porismatum negotium, celebriores quasdam propositiones porismaticas selegimus easque Geometris & considerandas & examinandas confidenter exhibemus, ut mox quid sit Porisma & cui maximè inserviat usui innotescat.

Porisma primum.

Videatur figura porismatis 1.

Sint duæ rectæ ON, O C, quæ angulum constituant in puncto O & sint ipsæ positione datæ, dentur & puncta A & B, à punctis B & A ducantur rectæ B E, A F ipsi OC parallelæ & occurrentes rectæ N O productæ in punctis E & F, jungatur recta A E, quæ rectæ C O productæ occurrat in D, jungatur itidem recta F B, quæ eidem rectæ C O occurrat in C & ad quodvis punctum rectæ O N ut V, verbi gratiâ, inflectantur rectæ A V, B V, ita ut recta AV occurrat rectæ O C in puncto S recta autem BV eidem O C occurrat in puncto R, rectangulum sub C R in D S æquale semper erit rectangulo sub C O in O D, ideoque spatio dato.

Porisma secundum.

Videatur figura porismatis 2.

Exponatur parabole quævis N A B, cujus diametri quælibet sint B E O, sumantur in curva duo quævis puncta A & N; à quibus inflectantur ad aliud quodvis curvæ punctum, ut D, Rectæ A D N, quæ in diametris puncta E, O, G, Q signent, in eadem diametro abscindentur semper duæ rectæ, quæ eamdem servabunt rationem; erit nempe ut O B ad B E, ita, Q B ad G B, idque in infinitum.

Porisma tertium.

Videatur figura porismatis 3.

Esto circulus cujus diameter recta A D, Cui parallela utcunque ducatur N M; circulo in punctis, N & M occurrens; & sint data puncta N & M, inflectatur utcumque recta N B M, quæ secet diametrum in punctis O & V. Aio datam esse rationem rectanguli sub A O in D V, ad rectangulum sub A V in D O; ideoque si inflectatur N C M secans diametrum in punctis R S, erit semper ut rectangulum sub A N in D V ad rectangulum sub A V in D O, ita rectangulum sub A R in D S, ad rectangulum sub A S in D R, nec difficile est propositionem ad ellipses, hyperbolas & oppositas sectiones extendere.

Poriſma quartum.

Videatur figura poriſmatis 4.

EXponatur Circulus I C H cujus diameter I D H data, centrum D, radius ad diametrum normalis C D, ſumantur in diametro producta puncta B & A data, & ſint rectæ A I, B H æquales, fiat ut D I ad I A, ita D L ad L I, & ſit recta D R æqualis D L, dabuntur puncta R & L, jungatur recta C A cui æqualis ponatur A F ad diametrum perpendicularis, eidemque fiat B G æqualis & parallela, inflectatur quævis recta ad circulum à punctis F & G, ut F E G, quæ diametrum ſecet in punctis M & N, Aio ſummam duorum quadratorum R M, L N æquari ſemper eidem ſpatio dato; iiſdem poſitis in ſecundo caſu jungatur recta C L cui æqualis ponatur L P ad diametrum perpendicularis, eidemque æqualis & parallela fiat R Z, ſi à duobus punctis Z & P inflectatur quælibet ad circumferentiam recta ut P V Z ſecans diametrum in punctis K & T quadratorum A T & B K aggregatum æquabitur ſemper alteri ſpatio dato.

Poriſma quintum.

Videatur figura poriſmatis 5.

ESto circulus R A C, cujus diameter R D C data, centrum D, radius D A ad diametrum normalis, ſumantur utcunque puncta Z & B data in diametro à centro D æquidiſtantia, & juncta A Z fiat æqualis Z M ad diametrum perpendicularis eidemque æqualis, & parallela ducatur B O, inflectatur quævis ad circumferentiam recta M H O quæ diametrum in punctis E & N ſecet, erit ſemper ratio quadratorum E H, H C, ſimul ſumptorum ad triangulum E H N data, eadem nempe quæ rectæ A Z ad quartam partem rectæ Z D. Ex adductis poriſmatibus, quorum propoſitiones elegantiſſimas & pulcherrimas eſſe quis diffiteatur, haud difficulter indaganda ſe prodit ipſa poriſmatum natura.

Enunciari nempe poſſeſe, cundùm Pappum, vel ut theoremata vel ut problemata ſtatim patet, nos ſane ut theoremata enunciavimus, ſed nihil vetat quominus in problemata transformentur; exempli causâ ſic quintum poriſma concipi poteſt. Dato circulo R A C cujus diameter R C, quærantur duo puncta ut M & O, à quibus ſi inflectatur quævis ad circumferentiam recta ut M H O faciat ſemper rationem quadratorum ab abſciſſis E H, H C ad triangulum E H C datam; nec latet ex ſupradicto theoremate conſtructio, ſi enim ponatur recta A Z eſſe ad quartam partem Z D in ratione datâ, omnia conſtabunt, eâdemque ratione in reliquis & omnibus omnino poriſmatibus theoremata in problemata facilè tranſibunt.

Quod autem innuit Pappus ex ſententia Juniorum Geometrarum poriſma deficere hypotheſi à locali theoremate, id ſanè totam poriſmatis naturam ſpecificè revelat neque alio ferè auxilio quàm eo quod hæc verba ſubminiſtrarunt hujuſce abdita materiæ penetravimus.

Cum locum inveſtigamus, lineam rectam aut curvam inquirimus nobis tantiſper ignotam, donec locum ipſum inveniendæ lineæ deſignaverimus, ſed cum ex ſuppoſito loco dato & cognito alium locum venamur, novus iſte locus poriſma vocatur ab Euclide, qua ratione locos ipſos poriſmatum unam ſpeciem & eſſe & vocari veriſſimè

Pappus ſubjunxit. Exemplo unico definitionem noſtram aſtruemus in figura 5ª. poriſmatis, datâ rectâ R C, ſi quæratur curva quælibet ut R A B cujus ea ſit proprietas ut à quolibet ipſius puncto ut A demiſſa perpendicularis A D faciat quadratum A D æquale rectangulo R D C inveniemus curvam R A C eſſe circuli circumferentiam, ſed ſi ex dato jam loco illo alium inveſtigemus, problema verbi gratiâ poriſmatis 5ª. novus iſte locus & infiniti alii quos periti ſagacitas Analyſtæ repræſentabit & ex jam cognito eliciet, poriſma dicetur.

Ma poi che lei si degna voler veder de i meschini parti del mio sterile ingegno, ho volsuto farle parte ancora d'un altro trattaticivolo che ho composto intorno all'infallibilità della Religione Catholica per dar sodisfatione a un' de' maggiori genij ch'io habbia mai conosciuto, e che finalmente l'ha convinto. Perche lui non si contentava di considerar Iddio come un Legislatore, che volesse dimonstrare il suo potere con dar premij ò pene secondo una volontà imperiosa senza motivo ragionevole fondato in natura, e però bisognò penetrar nella Filosofia della Religione, e perche essa sia necessaria a gl'huomini. In una parola, bisognò combattere in lui tutte le maggiori forze de' più dotti Sociniani (la più terribil' setta d'Here tici che sia mai stata) nel che fare ho qui impiegato tutto'l vigore del mio debbole ingegno in una ſtrada non calcata d'altri, & tutte le piu ſquiſite eſpreſſioni che sò della lingua noſtra, & non ne feci ſtampare ſe non 30. copie per dar ad amici confidenti. Gli mando ancora un altro trattato Ingleſe, che ha fatto gran romore in Inghilterra & che molti vogliono attribuire a me, ancor che ſia ſotto il nome del Signor Bianchi (conoſciuto ſotto titolo di Thomas Anglus) per eſſer che i ſentimenti dell'Autor & li miei ſiano preciſamente gl'iſteſſi. Dimando perdono de'l mio tanto importunarla, & la riveriſco, &c.

Lettre de Monſieur Paſcal à M. de Fermat.

De Bienaſſis le 10. Aouſt 1660.

MONSIEUR,

Vous étes le plus galand homme du monde, & je ſuis aſſurement un de ceux qui ſçay le mieux reconnoître ces qualitez là & les admirer infiniment, ſur tout quand elles ſont jointes aux talens qui ſe trouvent ſingulierement en vous; tout cela m'oblige à vous témoigner de ma main ma reconnoiſſance pour l'offre que vous me faites, quelque peine que j'aye encore d'écrire & de lire moy méme: mais l'honneur que vous me faites m'eſt ſi cher que je ne puis trop me hâter d'y répondre. Je vous diray donc, Monſieur, que ſi j'étois en ſanté je ſerois volé à Toloſe, & que je n'aurois pas ſouffert qu'un homme comme vous eût fait un pas pour un homme comme moy. Je vous diray auſſi que quoy que vous ſoyez celuy de toute l'Europe que je tiens pour le plus grand Geometre, ce ne ſeroit pas cette qualité là qui m'auroit attiré. Mais que je me figure tant d'eſprit & d'honéteté en vôtre converſation que c'eſt pour cela que je vous rechercherois. Car pour vous parler franchement de la Geometrie, je la trouve le plus haut exercice de l'eſprit, mais en méme temps je la connois pour ſi inutile que je fais peu de difference entre un homme qui n'eſt que Geometre, & un habile artiſan. Auſſi je l'appelle le plus beau métier du monde, mais enfin ce n'eſt qu'un métier; & j'ay dit ſouvent qu'elle eſt bonne pour faire l'eſſay, mais non pas l'employ de nôtre force: de ſorte que je ne ferois pas deux pas pour la Geometrie, & je m'aſſure que vous étes fort de mon humeur. Mais il y a maintenant cecy de plus en moy que je ſuis dans des études ſi éloignées de cét eſprit là, qu'à peine me ſouviens je qu'il y en ayt. Je m'y étois mis il y a un an ou deux par une raiſon tout a fait ſinguliere, à laquelle ayant ſatisfait je ſuis en hazard de n'y plus penſer jamais, outre que ma ſanté n'eſt pas encore aſſez forte, car je ſuis ſi foible que je ne puis marcher ſans baſton, ny me tenir à cheval. Je ne puis méme faire que trois ou quatre lieües au plus en carroſſe, c'eſt ainſi que je ſuis venu de Paris icy en vingt-deux jours: les Medecins m'ordonnent les eaux de Bourbon pour le mois de Septembre, & je ſuis engagé autant que je puis l'étre depuis deux mois d'aller de là en Poitou par eau juſqu'à Saumur pour demeurer juſqu'à Noël avec Monſieur le Duc de Roanes Gouverneur de Poitou, qui a pour moy des ſentimens que je ne vaus pas. Mais comme je paſſeray par Orleans en allant a Saumur par la riviere, ſi ma ſanté ne me permet pas de paſſer outre, j'iray de là à Paris; Voilà, Monſieur, tout l'état de ma vie preſente, dont je ſuis obligé de vous rendre compte, pour vous aſſurer de l'impoſſibilité où je ſuis de recevoir l'honneur que vous daignez m offrir, & que je ſouhaite de tout mon cœur de pouvoir un jour reconnoître ou en vous ou en Meſſieurs vos enfans, auſquels je ſuis tout devoüé, ayant une veneration particuliere pour ceux qui portent le nom du premier homme du monde. Je ſuis, &c.

Clariſſimo

VIRO CLARISSIMO DOM. GASSENDO

Petrus de Fermat. S. P.

De proportione quâ gravia decidentia accelerantur.

PRonuntiavit Galileus motum uniformiter acceleratum eſſe eum, qui à quiete recedens temporibus æqualibus æqualia celeritatis momenta ſibi ſuperaddit.

Eum verò qui æqualibus ſpatijs æqualia celeritatis momenta ſibi ſuperaddit, adeo non convenire motui gravium deſcendentium affirmat, ut ex eo ſuppoſito motum in inſtanti fieri deducat, & ut ſibi perſuaſit, facillimè demonſtret.

Sed concedatur, ſi placet, viro perſpicaci & Lynceo indemonſtrata concluſio dummodò ſit vera. Demonſtrationem enim dum primo ſtatim obtutu,

Aut videt, aut vidiſſe putat per nubila.

Nihil mirum ſi lectoribus minus utique Lynceis parum videatur ſatisfeciſſe.

Ut igitur conſtet ſuus honor Galileo, neque ampliùs de ipſius illatione ambigatur, aut rationibus tantum probabilibus diſputetur, propoſitionem ipſam more Archimedæo hîc demonſtratam habebis.

Si quotlibet rectæ ad unum punctum concurrentes exponantur in continua proportione, earum intervalla erunt in eadem ratione, verbi gratiâ,



Sint rectæ A F, B F, C F, D F, E F, &c. in continua proportione, erunt intervalla ipſarum A B, B C, C D, D E in eadem ratione. Eſt enim ut tota A F ad totam B F ita ablata B F, à priore ad C F ablatam à poſteriore. Ergo ita reliqua A B ad reliquam B C, ut tota ad totam, hoc eſt, ut A F ad B F, & ſic de cæteris. Eâdem ratione demonſtrabimus ut A F, ad C F, ita eſſe A B ad C D, & ut B F, ad D F, ita eſſe B C, ad D E, &c.

Si intelligatur motus à puncto F verſus punctum A continuè acceleratus ſecundum rationem decurſorum ſpatiorum & exponantur quotlibet continuè proportionales ut A F, B F, E F, &c. tempus in quo mobile percurret ſpatium D E, erit æquale tempori, in quo idem mobile percurret ſpatium D C, denique ſpatia omnia E D, D C, C B, eodem tempore ſingula percurrentur,



Demonſtrabimus primò ſpatia C B, B A, eodem tempore in ſuppoſito motu percurri. Si enim tempus per A B, non eſt æquale tempori per B C, erit vel majus, vel minus, Sit primum majus ſi fieri poteſt. Ergo tempus per A B, eſt ad tempus per B C, ut aliqua recta major ipſa B F, ad ipſam B F: ſit recta illa Z. Ergo eſt ut tempus per A B, ad

Hæc epiſtola Typis edite fuit tomo 6. operum Gaſſendi inter epiſtolas ad eum ſcripras.

tempus per B C ita recta Z ad rectam B F, sumantur inter rectas N F, B F, tot mediæ in continua proportione, ut R F, M F, N F, donec minor ex ipsis ut A F, sit minor quam recta Z, quod quidem necessariò eventurum vel ex sola mediæ inventione, ejusque iteratâ, quoties opus fuerit, operatione, quis non videt?

Erunt ergo continuæ proportionales rectæ AF, RF, MF, NF, BF, cùm autem sit ut A F, ad B F, ita B F, ad C F, & ita A B, ad BC, ergo poterit continuari proportio sub eodem numero terminorum, ut sint etiam proportionales B F, O F, V F, X F, C F, idque in eadem superiorum ratione.

His ita positis & constructis considerentur & comparentur singula spatia A R, R M, M N, N B, singulis spatijs B O, O V, V X, X C, singula nempe singulis, hoc est spatium A R, spatio B O: si igitur per spatium A R, fuerit motus uniformis juxta gradum velocitatis in puncto R acquisitum, tempus per A R, ad tempus per B O, componeretur ex ratione spatij A R, ad spatium B O, & vicissim ex ratione velocitatis per B, ad velocitatem per R, quod notissimum est, & Galileus ipse demonstravit propositione quintâ tractatus de motu æquabili.

At ut spatium A R, ad spatium B O, ita per primam propositionem recta A F, ad rectam B F, & ut velocitas per B, ad velocitatem per R, ita ex supposita motus accelerati juxta spatia decursa definitione, recta B F ad rectam R F, ergo tempus per A R, hoc casu ad tempus per B O, componeretur ex ratione A F, ad B F, & ex ratione B F, ad R F, esset igitur motus per A R, ad motum per B O, ut recta A F, ad rectam R F: deinde si per spatium R M, fieret motus uniformis juxta gradum velocitatis in O acquisitum, eâdem ratione probabitur motum per R M, ad motum per O V, esse ut recta R F, ad rectam M F: similiter considerando velocitates punctorum N, & V, erit tempus per M N, ad tempus per V X, ut M F, ad M F: denique considerando velocitates punctorum B, & X, in ultimis spatijs erit tempus per R B, ad tempus per X E, ut N F, ad B F, sed omnes ejusmodi rationes nempe A R, ad R F, R F, ad M F, M F ad N F, N F, ad B F, ex constructione sunt eædem.

Ergo tempus omnium motuum per totam A B, ad tempus omnium motuum per totam B C, in utrisque spatijs, ita ut diximus, consideratorum est ut recta A F, ad R F, sive N F, ad B F, sed tempus motus accelerati per A R, est minus tempore motus per A R uniformis juxta velocitatem in R, cùm enim à puncto R, usque ad punctum A, perpetuò ex hypothesi velocitas crescat, ergo à puncto R, ad punctum A, citiùs per motum acceleratum pervenitur, quàm si velocitas acquisita in R, eadem & uniformis usque ad punctum A, perseveraret. Eâdem ratione probabitur tempus motus accelerati per R M esse minus tempore motus uniformis per R M, si velocitas ipsius ultimo ipsius spatij M puncto respondeat. Denique constat motum per totam AB, acceleratum, ut fiet hypothesis, minori tempore fieri quàm motum alium fictitium ex motibus uniformibus juxta velocitates ultimis spatiorum A R, R M, M N, NB, punctis respondentes compositum, at contra tempus motus accelerati per B O, est majus tempore motus uniformis per B O, considerati juxta velocitatem puncti B, quia velocitas à puncto B, ad O, semper crescit in motu accelerato, juxta hypotesin, & minor semper est velocitate, quæ respondet puncto B: unde pari ratiocinio concludetur motum per totam B C, acceleratum, ut fiet hypothesis, majori tempore fieri, quàm motum illum fictitium ex motibus uniformibus juxta velocitates primis spatiorum B O, O V, V X, X C, punctis respondentes compositum.

Cum ergo tempus motus accelerati per A B, sit minus tempore motus illius fictitij per eandem A B, & contra tempus motus accelerati per B C, sit majus tempore motus illius fictitij per eandem B C, ergo minor est ratio temporis motus accelerati per A B, ad tempus motus accelerati per B C, quàm temporis motus fictitij per AB, ad tempus motus fictitij per BC: sed ut tempus motus accelerati per AB, ad tempus motus accelerati per B C, ita posuimus esse rectam Z ad rectam B F, & ut tempus

motus fictitij per A B, ad tempus motus fictitij per B C, ita demonstravimus esse N F, ad B F, ergo minor est ratio rectæ Z ad rectam B F, quàm rectæ N F, ad eamdem B F, quod est absurdum, cùm recta Z sit major recta N F.

Ergo tempus motus accelerati per A B, non est majus tempore motus accelerati per B C. Eâdem facilitate probabimus tempus motus per A B, accelerati non esse minus tempore motus accelerati per B C: sit enim minus, si fieri potest, erit igitur ut tempus motus per AB, accelerati ad tempus motus accelerati per B C, ita recta minor ipsa B F, ad ipsam B F, esto itaque recta illa minor quam B F G, & sit tempus motus accelerati per A B, ad tempus motus accelerati per B C, ut G, ad rectam B F, & inter rectas B F, C F, exponatur continuè proportionalium series quarum maxima O F, sit major quàm G. Eodem quo usi sumus in superiori demonstrationis parte ratiocinio conferendo spatia in ipsa B, inter similes proportionales intercepta, cum spatijs B O, O V, V X, X C, mutemus solummodo velocitates uniformes, & fingamus verbi gratiâ motum per A R, uniformem fieri juxta gradum velocitatis in puncto A acquisitæ, motum verò uniformem per B O, fieri juxta velocitatem acquisitam in puncto, O & sic in reliquis spatijs in quibus patet omnes velocitates per A B, uniformes augeri, velocitates verò per B C, uniformes minui, contrà id quod in priore demonstrationis parte fuerat usurpatum. Concludetur ut suprà tempus motus hujusmodi uniformis per A R, ad tempus motus uniformis per B O, esse ut recta R F, ad rectam A F, dum enim augentur velocitates, tempora motuum minuuntur: similiter tempus motus uniformis per R M, ad tempus motus uniformis per O V, erit ut M F, ad M R: denique tempus motus fictitij illius per A B, ex uniformibus compositi ad tempus motus fictitij per B C, ex uniformibus pariter compositi erit ut R F, ad A F, cum omnes rationes sint eædem, hoc est ut O F, ad BF, per primam propositionem.

Tempus autem motus accelerati per A B, est majus tempore motus illius fictitij ex uniformibus compositi, cum supposuerimus in motibus uniformibus auctas fuisse velocitates, quæ nimirùm in hoc casu primis spatiorum A R, R M, &c. punctis respondent; sed & tempus motus accelerati per B C, est minus tempore motus fictitij ex uniformibus compositi, quia hîc velocitates minuuntur, & ultimis spatiorum B O, O V, &c. punctis respondent. Ergo major est ratio temporis motus accelerati per B C, quam temporis motus fictitij per A B, ad tempus motus fictitij per B C: sed ut tempus motus accelerati per A B, ad tempus motus accelerati per B C; ita est recta G, ad rectam B F, ex suppositione: ut autem tempus motus fictitij per A B, ad tempus motus fictitij per B C, ita recta O F, ad B F, ex demonstratione; ergo recta G, ad rectam B F, majorem proportionem habet, quàm recta O F, ad rectam B F, quod est absurdum, cùm recta G, sit minor rectâ OF, ex constructione: non ergo tempus motus accelerati per AB, est minus tempore motus accelerati per BC, sed nec majus ut supra demonstratum est, ergo est æquale. Eadem ratione patet tempus motus accelerati per C D, æquari tempori motus accelerati per A B, & tempori motus accelerati per B C, & continuatis, si placet, in infinitum rationibus, omnia omninò spatia eodem tempore percurri.



His positis tertiâ propositione mentem Galilei revelamus, aut propositionis veritatem astruimus. Intelligatur motus gravium descendentium à quiete expuncto A usque ad punctum H, verbi gratia, & supponatur, si fieri potest, velocitatem gravis cadentis accelerari juxta rationem spatiorum decursorum. Ponatur motus jam factus ab A, usque ad H, tempore unius minuti, aut altero quovis tempore determinato, & supponatur motus continüari usque ad punctum K, aio motum per HK, fieri in istanti. Si enim motus per HK, non fiat in instanti, fiet in tempore aliquo determinato, quod per aliquem numerum multiplicatum excedet tempus in decursu spatij AH insumptum. Ponatur numerus multiplicans 5. ita ut tempus motus per HK, quinquies sumptum excedat tempus motus per AH, rectis KA, HA, sumatur tertia proportionalis GA, & toties continüetur proportionalium series, donec spatiorum interceptorum numerus excedat numerum quinque: fiant ergo ex proportionalibus continüatis sex, verbi gratiâ, spatia ultra punctum H, quæ sint HG, GF, FE, ED, DE, CB, ergo tempus motus per HG, per præcedentem est æquale tempori motus per HK, similiter tempus motus per GF, est æquale tempori motus per HK. Denique motus per totam HB, fiet in tempore quod ad tempus per HK, erit sextuplum. At tempus temporis per HK, quintuplum est majus tempore motus per AH, ergo à fortiori tempus motus per HB, tempore motus per totam HA, est majus, quod est absurdum. Ergo vera remanet Galilei illatio quamvis eam ipse non demonstrârit.

Hæc breviter & familiariter, Clarissime Gassende, scripsimus, ne tibi imposterùm facessat negotium aut Cazræus, aut quivis alius Galilei adversarius, & in immensum excrescant volumina, quæ unicâ demonstratione, vel fatentibus ipsis authoribus aut destruentur, aut inutilia & superflua efficientur. Vale.

*Lettre de Monsieur Gassendi à Monsieur de ****

MONSIEUR,

Il y a déja quelque temps que Monsieur le President de Donneville s'étant donné la peine de me venir voir, me laissa un écrit de Monsieur de Fermat touchant l'accroissement de vîtesse qui est en la cheute des corps, & parce que je n'ay point eu l'honneur de le revoir dépuis, & que je ne sçay point son logis pour le luy pouvoir rendre, & que d'ailleurs il me semble qu'il me dit en passant qu'il avoit charge de vous le remettre aprés qu'il me l'auroit monstré, je me suis advisé de vous l'envoyer sans plus attendre, avec les tres-humbles remerciemens que je dois à mondit sieur de Fermat de la bonté qu'il a eüe de m'en donner la communication. Il seroit superflu de vous dire, combien j'en suis satisfait, puisque comme vous sçavés mieux que tout autre rien ne peut partir d'une telle main qui ne soit parfait en tout point. Je suis, &c.

*Lettera del Signor Benedetto Castelli Abbate di Verona, al Signor di ****

ILL.MO ED ECC.MO SIG.RE

Ho Letti i pensieri sottilissimi del Sig.r di Fermat intorno al centro di gravita, e confesso libetamente che mi sono parsi belli, & degni di quello sublime intelletto, che mi fu celebrato con alta lode dal Signor di Beaugrand, quando passò per Roma, e voglio credere che ne habbia assoluta dimostratione; e perche il Sig.re di Beaugrand mi disse di havere dimostrata una simile propositione, cioè, che il medesimo grave posto in diverse lontananze dal centro della terra pesava inegualmente, e che il peso al peso era come la distanza alla distanza dal centro della terra, io mi applicai à pensare à questa materia, e pretesi allhora di havere ritrovata la dimostratione, mà dopo essendo mi state promosse alcune difficoltà, mi raffreddai in questa specolatione: mi ricordo però che ancor io ne deducevo la medesima consequenza, che deduce ancora il Signor di Fermat, cioè, che il grave che haverà il suo centro di gravità col centro della terra non haverà peso alcuno: e di più che la terra tutta non ha peso: e in oltre ne cavai, che descendendo un grave verso il centro della terra non solo và mutando peso di momento in momento, ma (cosa che puo parere più marauigliosa) il suo centro di gravità si va continuamente movendo nella mole di esso grave; di più che un grave di qualsivoglia figura che si mova in se medesimo circolarmente pure va continuamente mutando il suo centro di gravità: e per tanto facilmente concorro con il Sigr. di Fermat, che il centro di gravità non sia in natura tale quale l'hanno descritto communemente i Mechanici: e se io credessi che le mie debolezze potessero esser care al Signor di Fermat, gli ne mandarei una copia, non solo per ricevere documenti da S. Sig.ria Ill.ma ma per fare acquisto di un tale e tanto padrone, al quale prego V. S. J. dedicarmi servitore di singolare devotione, e li bacio le mani.

VIRO CLARISSIMO DOM. DE RANCHIN, Sen. Thol. Petrus de Fermat S. P.

POlyænum tibi tuum, Vir Clarissime, mitto, sed observanda in eo quædam sup-
peditat codex manuscriptus optimæ notæ auctorum rei militaris hactenus ine-
ditorum quem penes me habeo; apud eum collectionem quamdam præceptorum
& monitorum militarium inveni sub nomine Παρεκβολῶν, cujus auctorem licet manus-
criptus non detegat, colligo tamen ex glossario Græcobarbaro Meursij, eum esse He-
ronem, non illum quidem Alexandrinum cujus spiritalia & alia quædam opuscula
extant, & qui antiquo, hoc est, optimo ævo, Græcè scripsit, sed alium posterioris
ævi, quod pleraque ipsius vocabula Græcobarbara satis innuunt; utrumque, ætatem
nempe & nomen auctoris, confirmat Meursius in voce κοντουβέρνιον ubi citantur sequen-
tia Heronis verba in παρεκβολαῖς, ἀπέστειλε νῦν τῆς νυκτὸς εἰς τὰ ἄπληκτα αὐτῶν καὶ τὰ κοντουβέρνια,
hæc enim verba cum in meo manuscripto desint, supplendum in eo nomen auctoris
ex manuscripto Meursii; tempus vero quo hæc scribebantur & quo voces ἄπληκτον &
κοντουβέρνιον in usu erant, ultra septingentos plus minùs annos non videtur excurrere;

hoc autem παρεκβολῶν tractatu, pleraque Polyæni ſtratagemata ſuppreſſo authoris nomine alijs ſæpe verbis referuntur, quandoque & ijſdem, unde ampla emergit emendationum & notarum criticarum penus; celebriores aliquot tibi, vel ſi mavis doctis omnibus tuo nomine jure repræſentationis libenter exhibeo.

Cleomenis ſtratagema narratur lib. 1. Polyæni pag. 20. editionis Tornæſianæ ſequentibus verbis, Κλεομένης Ἀργείοις ἐπολέμει καὶ ἀντεστρατοπέδευσεν, ἣν τοῖς Ἀργείοις ἀκριβὴς φυλακὴ τῶν δρωμένων τοῖς πολεμίοις, καὶ πάντα ὅσα Κλεομένης βούλοιτο ὑπὸ κήρυκος ἐσήμαινε τῇ στρατιᾷ, καὶ αὐτοὶ τὰ ἴσα δρᾶν ἐσπούδαζον, ὁπλιζομένων ἀνθωπλίζοντο, ἐξιόντων ἀντεπεξῄεσαν, ἀναπαυομένων ἀντεναπαύοντο, Κλεομένης λάθρα παρέδωκεν ὅταν ἀριστοποιεῖσθαι κηρύξῃ, ὁπλίσασθαι, ὁ μὲν ἐκήρυξεν, οἱ δὲ Ἀργεῖοι πρὸς ἄριστον ἐτράποντο, Κλεομένης ὁπλισαμένους ἐπαγαγὼν ἀμαχεὶ ἀνόπλους καὶ γυμνοὺς τοὺς Ἀργείους ἀπέκτεινεν, hoc loco poſt verba ἐξιόντων ἀντεπεξῄεσαν, addendum ex manuſcripto ἀριστώντων, ἠρίστων, quod finis ipſius ſtratagematis pleniſſimè confirmat.

Themiſtoclis ſtratagema, eodem libro pag. 44. refertur hoc modo, Θεμιστοκλῆς Ἰώνων Ξέρξῃ συμμαχούντων, ἐκέλευσε τοῖς Ἕλλησι καταγράφειν ἐπὶ τοὺς τείχους, Ἄνδρες Ἴωνες οὐ δίκαια ποιεῖτε στρατεύοντες ἐπὶ τοὺς πατέρας, τούτων ἀναγινωσκομένων βασιλεὺς ὑπόπτους αὐτοὺς ἐποιήσατο, corrigendum ex manuſcripto ἐλογίσατο, quam eſſe veram lectionem innuit ſenſus.

Ageſilai ſtratagema occurrit lib. 20. pag. 86. Ἀγησίλαος, ait ille, ἐν Κορωνείᾳ Ἀθηναίους ἐνίκησεν, ἤγγειλέ τις, οἱ πολέμιοι φεύγουσιν εἰς τὸν νεὼν τῆς Ἀθηνᾶς, ὁ δὲ προσέταξεν ἐᾶν αὐτοὺς οἷ καὶ βούλοιντο ἀπιέναι, ὡς ἄρα εἴη σφαλερὸν συμπλέκεσθαι τοῖς ἐξ ἀπονοίας μαχομένοις, ibi loco vocis Ἀθηναίους reponendum ex manuſcripto Θηβαίους.

Aliud Ageſilai ſtratagema refert Polyænus eodem libro pag. 103. Ἀγησίλαος ἐν ταῖς διαπρεσβείαις ἠξίου τῶν πολεμίων τοὺς μάλιστα δυνατοὺς πέμπεσθαι πρὸς αὐτὸν οἷς διαλέξηται περὶ τῶν κοινῇ συμφερόντων, τούτοις ἐπὶ πλεῖστον συγγενόμενος, καὶ κοινωνῶν ἑστίας καὶ σπονδῶν, ταῖς πόλεσιν στάσιν ἐνεποίει διὰ τὰς τῶν πολλῶν ὑποψίας. Vulteius hoc modo interpretatur: Ageſilaus in legationibus petebat ab hoſtibus ut maxime potentes ad ſe mitterent; cum quibus de communi utilitate ſermones conferret, cum his plurimum habens conſuetudinis, & communicans focum ac cineres, ſeditiones in urbibus excitabat propter vulgi ſuſpiciones. Videtur interpres loco verbi σπονδῶν quod eſt in textu Græco, legiſſe σποδῶν cum vertat cineres, ſed nihil mutandum ex manuſcripto evincitur ubi leguntur hæc verba καὶ ὅρκους πρὸς αὐτοὺς ποιούμενος.

Clearchi ſtratagema narratur libro eod. pag. 110. his verbis, Κλέαρχος ἦν ἐν Θρᾴκῃ, νυκτερινοὶ φόβοι τὸ στράτευμα κατελάμβανον, ὁ δὲ παρήγγειλεν, εἰ γένοιτο νύκτωρ θόρυβος, μηδένα ὀρθὸν ἀνίστασθαι, ὁ δὲ ἀναστὰς ἀναιρείσθω, τὸ παράγγελμα τοῦτο ἐδίδαξε τοὺς στρατιώτας καταφρονεῖν τοῦ νυκτερινοῦ φόβου. Verba quædam hîc ſupplenda ex manuſcripto, quæ tamen videtur in ſuo codice vidiſſe interpres Latinus, licet deſint in editione græcâ Tornæſij, ſunt autem ſequentia, καὶ οὕτως ἀνεπαύσαντο ἀναπηδῶντες καὶ ταρασσόμενοι. Atque ita deſierunt exilire ac perturbari.

Perdiccæ ſtratagema ſequens legitur libro 4. pag. 114. Περδίκκας Ἰλλυριῶν καὶ Μακεδόνων πολεμούντων ἐπειδὴ πολλοὶ Μακεδόνες ἡλίσκοντο ζωγρεῖν, καὶ οἱ λοιποὶ Μακεδόνες λύτρων ἐλπίδι πρὸς τὰς μάχας ἦσαν ἀτολμότεροι, ἐπεκηρυκεύσατο περὶ λύτρων, ἐντειλάμενος τῷ κήρυκι ἐπανελθόντι ἀγγεῖλαι ὡς ἄρα λύτρα Ἰλλυριοὶ μὴ προσίοιντο, ἀλλὰ ψηφίσειαν τοὺς αἰχμαλώτους κτιννύειν. οἱ δὴ Μακεδόνες ἀπογνόντες τῆς διὰ τῶν λύτρων σωτηρίας εὐτολμότεροι πρὸς τὰς μάχας ἐγίνοντο, ὡς ἐν μόνῳ τῷ νικᾶν ἔχοντες τὸ ζώζεσθαι, quod ſic interpretatur Vulteius. Perdiccas Illyriis & Macedonibus bellum gerentibus cum multi Macedones caperentur vivi, reliqui etiam redemptionis ſpe ad pugnam minùs alacres erant, quibus legationem inter ſe de redemptoriis muneribus mittentibus, præcepit legato ut reverſus nuntiaret ſe redemptoria munera Illyriorum non accepturum, ſed condemnatos captivos morte affecturum, Macedones deſperatâ ſalute redemptivâ audaciores ad pugnandum reddebantur, quippe quibus in ſolâ victoriâ ſalus poſita eſſet. In hoc ſtratagemate vocem Ἰλλυριοὶ mutandam in Ἰλλυριῶν indicat nota marginalis editionis Tornæſianæ; ſi vera eſſet explicatio Vulteii, non ſolùm vera ſed & neceſſaria eſſet illa emendatio, ſed frigidiſſimum eſſet ſtratagema, ſi ſequeremur ſenſum interpretis: Polyænus quippe vult Perdiccam præcepiſſe legato, ut

reverſus nuntiaret Illyrios redemptoria munera non accepturos, & hic eſt verus ſenſus ſtratagematis, quem Hero aliis verbis, ſecundùm hanc quæ eſt vera & germana interpretatio, expreſſit in manuſcripto his verbis, ἐπετήδευσε τοιοῦτον, παρεσκεύασε τινὰ ὡς πρόσφυγα ἐλθόντα ἀπὸ τῶν πολεμίων εἰπεῖν ὅτι οἱ πολέμιοι ἐβουλεύσαντο καὶ ἀπεκύρωσαν ἵνα ὅσους κρατήσουσιν αἰχμαλώτους ἀποκτείνωσι.

Alexandri ſtratagema refertur etiam lib. 4. pag. 248. verbis ſequentibus, Ἀλέξανδρος Δαρείῳ παρατάσσεσθαι μέλλων, παράγγελμα τοῖς Μακεδόσιν ἔδωκεν. ἢν ἐγγὺς γένησθε τῶν Περσῶν εἰς γόνυ κλίναντες ταῖς χερσὶν διατρίβετε τὴν γῆν, ἢν δὲ ἡ σάλπιγξ ὑποσημήνῃ τότε δὴ ..... Μακεδόνες οὕτως ἐποίησαν, οἱ δὲ Πέρσαι σχῆμα προσκυνήσεως ἰδόντες, τὴν πρὸς τὸν πόλεμον ὁρμὴν ἐξέλυσαν καὶ ταῖς γνώμαις ἐγένοντο μαλακώτεροι. Δαρεῖος δὲ ἐκυδριοῦτο καὶ φαιδρὸς ἦν, ὡς ἀμαχὶ κρατῶν, οἱ Μακεδόνες ὑπὸ τῷ συνθήματι τῆς σάλπιγγος ἀναπηδήσαντες ῥύμηδὸν ἐμβάλλουσι τοῖς πολεμίοις καὶ τὴν φάλαγγα ῥήξαντες ἐς φυγὴν ἐτράποντο.

Hoc loco deſunt quædam verba poſt vocem τότε, quæ ſupplenda ex manuſcripto ubi narratio eſt integra & elegans; lacuna itaque ex eo ſic replenda, τότε μετὰ θυμοῦ καὶ ἀνδρείας τοῖς πολεμίοις προσβάλλετε.

Pammenis ſtratagema tale proponitur libro 5. pag. 385. Παμμένης ὀλίγην ἔχων δύναμιν ὑπὸ πλειόνων ἀποληφθεὶς ἔπεμψεν αὐτομόλον ἐς τὸ τῶν πολεμίων στρατόπεδον, ὁ δὲ σύνθημα ἐκμαθὼν ἤγγειλε τῷ Παμμένει, ὁ δὲ νυκτὸς ἐπιθέμενος τοῖς πολεμίοις, πολλοὺς αὐτῶν φθείρας διεξιππάσατο αὐτὸς σύνθημα, τοῖς δὲ ἦν ἀπορία γνωρίζειν ἐν σκότει τοὺς οἰκείους μὴ δυναμένοις διὰ τοῦ συνθήματος.

Hîc addenda ex manuſcripto poſt verbum αὐτὸς ſequentia, αὐτὸς μὲν καὶ ὁ τούτου στρατὸς ἐγίνωσκον τῶν πολεμίων τὸ σύνθημα, ἐκείνοις δὲ ἀπορία ἦν ἐν τῷ σκότει τῆς νυκτὸς γνωρίζειν τοὺς ἰδίους ἢ τοὺς πολεμίους, τῶν πολεμίων τὸ σύνθημα ἀποκρινομένων.

Pompiſci ſtratagema refertur lib. 5. pag. 402. Πομπίσκος περιστρατεύων πόλιν, ἐπὶ μὲν τὴν πολλὴν τῆς χώρας ἐξιέναι τοὺς πολεμίους ἐκώλυσεν, ἐπὶ δὲ τόπον ἕνα συνεχῶς .... καὶ τοῖς λῃζομένοις ἀπέχεσθαι τοῦ τόπου τούτου προσέταξεν, οἱ δὲ ἐκ τῆς πόλεως ἀδεῶς ἐνταῦθα προΐεσαν, ὁ δὲ παρὰ τῶν σκοπῶν, ὡς ἔμαθεν, τοὺς ἥκοντας πολλοὺς ἐπιθέμενος τοὺς πλείστους αὐτῶν ἐχειρώσατο.

Vox συνεχῶς quæ hîc vulgò legitur, corrigenda ex manuſcripto & loco illius reponendum συνεχώρει quod ex conjecturâ viderat Caſaubonus ut patet ex ipſius notis.

Alexandri Pherenſis ſtratagema refertur lib. 6. pag. 426. Ἀλέξανδρος Πάνορμον πολιορκοῦντος Λεωσθένους πρὸς ἅπασας τὰς Ἀττικὰς ναῦς φανερῶς ναυμαχεῖν οὐ θαρρῶν, διέπεμψεν ἐπὶ ἀκάτιον νύκτωρ, &c. legendum eſſe, ἐπὶ ἀκατίου, ut vult Caſaubonus in notis, confirmat codex manuſcriptus ubi legitur διὰ μικροῦ πλοιαρίου, quæ verba idem ſonant.

Cyri ſtratagema narrat Polyænus lib. 70. pag. 477. his verbis. Κῦρος Μήδοις παραταξάμενος τρὶς ἡττήθη; ἐπεὶ δὲ Περσῶν αἱ γυναῖκες καὶ τὰ τέκνα ἦσαν ἐν Πασαργάδαις τὴν τετάρτην μάχην ἐνταῦθα συνῆψε, πάλιν ἔφυγον οἱ Πέρσαι, ὡς δὲ ἴδον τὰ τέκνα καὶ τὰς γυναῖκας, παθόντες ἐπ' αὐτοῖς ἀνέστρεψαν, καὶ τοὺς Μήδους ἀτάκτους διώκοντας τρεψάμενοι, νίκην τηλικαύτην ἐνίκησαν, ὡς μηκέτι Κῦρον πρὸς αὐτοὺς ἄλλης δεηθῆναι μάχης.

Hîc loco vocis παθόντες corrigendum ex manuſcripto συμπαθόντες, quæ vox itidem reſtituenda in ſtratagemate Apollodori pag. 435. manuſcriptus noſter ex quo coniicimus vocem παθόντες mutandam in συμπαθόντες verbis ſequentibus rem narrat & ſtratagema Polyæni exprimit, οἱ δὲ συμπαθείᾳ τούτων νικώμενοι, &c. vox autem illa melius authoris ſenſui reſpondet quam τὸ παθόντες vt legendum cenſuit Caſaubonus.

Darii ſtratagema narratur lib. 7. pag. 489. hoc modo. Δαρεῖος ἐπολέμει Σάκκαις τριχῇ διῃρημένοις, μίας ἐκράτησε μοίρας, τῶν δὲ Σακκῶν ἰζόντων τὰς ἐσθῆτας καὶ τὸν κόσμον καὶ τὰ ὅπλα περιέθηκε τοῖς Πέρσαις &c. hîc loco vocis ἰζόντων quæ eſt corrupta in editione Tornæſii, legendum ex manuſcripto ἀναιρεθέντων.

Scipionis continentiæ exemplum laude digniſſimum refertur lib. 8. pag. 568. ſequentibus verbis, Σκιπίων δορυάλωτον λαβὼν ἐν Ἰβηρίᾳ πόλιν Φοίνισσαν, ὡς οἱ φυγαγωγοὶ παρθένον ἤγαγον κάλλους ὑπερφυῶς ἔχουσαν, τὸν πατέρα αὐτῆς ἀναζητήσας ἐχαρίσατο αὐτῷ τὴν θυγατέρα, τοῦ δὲ δῶρα προσκομίσαντος, ὁ δὲ καὶ ταῦτα συνεχαρίσατο, προῖκα φήσας ἐπιδιδόναι τῇ κόρῃ, &c. ibi vulgò legitur φυγαγωγοὶ quod interpres vertit captivorum ductores, ſed legendum ex manuſcripto, νυμφαγωγοί, hoc eſt virginum ductores, quæ correctio & veriſſima, & elegantiſſima, ut nullus ſuperſit dubitandi locus.

Plura adjungerem, ſed feriis jam deſinentibus quarum beneficio otium ſuppetebat, finem quoque huic παρεκβολῶν παρεκβολῇ imponimus. Vale & me ama.

VIRO CLARISSIMO D. DE PELLISSON, Libellorum supplicum Magistro.

Samuel de Fermat. *S. P.*

CRiticas observationes quas mihi nuper misisti, vir clarissime, sæpius legi non sine voluptate & admiratione; in illis enim ingenii, judicii, & doctrinæ dotes quas in te jampridem suspicimus ubique elucent: nihil autem invenire possim quod tanti muneris vice tibi referam, nisi commodùm egestati meæ succurrerent variæ lectiones quas vir tibi singulari conjunctus amicitiâ, cujus mihi jucunda semper est recordatio, margini apposuit quorumdam librorum quos sedulò pervoluebat, & quorum pleraque loca, sed ἐδῶ παρέργον, emendavit; scis enim quàm præcoci ille ubertate florum amænitatem fructuum maturitati junxerit, nec me latet quantâ ipse fiduciâ suas exercitationes solitus sit in tuum sinum effundere; licet autem omnes istæ quas excerpsi emendationes, vel parentis mei conjecturæ, tibi novitatis gratiâ non commendentur, illas tamen, quæ tua est comitas, te benignâ manu suscepturum non dubito.

Theonem Smyrnæum, ne te diutius morer, vir clarissime, nosti, auctorem operis illius cui titulus τῶν κατὰ μαθηματικὴν χρησίμων εἰς τὴν τοῦ Πλάτωνος ἀνάγνωσιν, quod prodromi instar est aut isagoges Philosophiæ Platonicæ, quæ nemini Geometriâ non initiato patebat: illud opus edidit Lutetiæ anno 1644. Ismael Bullialdus vir doctissimus & Latinitate donatum elegantibus notis illustravit; sed non omnibus illud mendis purgasse videtur, ut aliquot, ni fallor, exemplis, quæ sequuntur, planum fiet.

Primum occurrit pag. 78. illius operis ubi περὶ ἁρμονίας & συμφωνίας agit: locum illum exscribere non piget, ipsa enim series emendationis procul dubio necessitatem, & veritatem ostendet; τὰ γράμματα, ait ille, φωναὶ πρῶται εἰσὶ καὶ διαιρετοὶ καὶ ἐλάχισται, & inferiùs, τὰ δὲ διαστήματα ἐκ τῶν φθόγγων οἵτινες πάλιν φωναὶ εἰσὶ πρῶται καὶ διαιρετικαὶ καὶ στοιχειώδεις, huic voci διαιρετικαὶ asteriscus in margine respondet cum voce διαιρεταὶ, at hîc reponenda bis videtur vox ἀδιαιρετοὶ loco τοῦ διαιρετοὶ & διαιρετικαὶ, legendum nempe γράμματα φωναὶ εἰσὶ ἀδιαιρετοὶ, idque confirmat Manuel Bryennius cap. 1. lib. 2. Ἁρμονικῶν: legendum præterea φθόγγων οἵτινες πάλιν φωναὶ εἰσὶ πρῶται καὶ ἀδιαιρετοὶ, & hæc quoque lectio confirmatur verbis ejusdem Bryennii lib. 1. cap. 3. ubi dicit φθόγγος ἐστὶ ἀρχὴ ἁρμονίας ὡς ἡ μονὰς τοῦ ἀριθμοῦ, τὸ σημεῖον τῆς γραμμῆς, καὶ τὸ νῦν τοῦ χρόνου, punctum, vero & instans sunt ἀδιαιρετὰ & consequenter φθόγγος ἀδιαιρετὸς, non dividendi vim habens, ut uvlt interpres Latinus: nec immerito Bacchius Senior in introductione artis musicæ quæstioni illi τί οὖν ἐστὶν ἐλάχιστον τῶν μελῳδουμένων, respondet, φθόγγος, quem non tantum ἐλάχιστον, sed etiam ἄτομον esse docet antiquæ musicæ celeberrimus auctor Aristides Quintilianus lib. 1. de Musicâ, atque ita authoritas æque ac ratio suffragatur huic emendationi, quæ fit unius tantum litteræ mutatione. Minimâ quoque mutatione alia fit eodem capite licet minoris momenti correctio, ubi vulgò male legitur, φησὶ καὶ τοὺς Πυθαγορικοὺς, legendum scilicet, φασὶ, ut apud Bryennium λέγουσι. Paulò inferiùs ubi legitur ἀποτελεῖται ὁ φθόγγος βραδείας δὲ βαρὺς, καὶ σφοδρᾶς μὲν μείζων ἦχος, ἠρέμου δὲ μικρὸς, legendum videtur ἠρεμαίας, & Bryennii authoritate confirmatur.

Hactenus de sono de quo agitur in cap. illo 6. In cap. vero 8. agitur de semitonio, & ita vulgò legitur κατὰ καὶ τὸ ἡμιτόνιον γράμμα οὐχ ὡς ἥμισυ φωνῆς καλοῦμεν ἀλλ' ὡς μὴ τῷ αὐτοτελεῖ κατὰ ταυτὸ φωνεῖν, legendum vero videtur καθὸ non κατὰ: legendum præterea ἀλλ' ὡς μὴ αὐτοτελῆ καθ' αὑτὸ φωνὴν ἀποτελεῖν, quæ lectio ejusdem Bryennii authoritate nixa veriorem vulgatâ sensum efficit.

Atque

Atque harum probatio lectionum desumi potest, ἐκ τῶν περὶ τοῖς μυστικοῖς ὑποτιθεμένων καὶ ἐκ τῶν περὶ τοῖς μαθηματικοῖς λαμβανομένων, ut Porphyrii verbis utar, quæ in commentariis clarissimi interpretis referuntur pag. 276. sed non sine mendo, malè enim ibi legitur, ἐκ τῶν ὑπὸ τῆς μυστῆς ὑποτιθεμένων.

Nec silentio prætermittenda est elegantissima, & audacter dicam, certissima alterius loci ejusdem Theonis emendatio paginâ 164. ubi de octonario loquitur: refertur ibi vetus inscriptio quam in columna Ægyptiaca reperiri tradidit Evander hoc modo, Πρεσβύτατος πάντων Ὄσιρις θεοῖς ἀθανάτοις πνεύματι καὶ οὐρανῷ ἡλίῳ καὶ σελήνῃ καὶ γῇ καὶ νυκτὶ καὶ πατρὶ τῶν ὄντων καὶ τῶν ἐσομένων ΕΡΩΤΕ μνημεῖα τῆς αὐτοῦ ἀρετῆς βίου συντάξεως, id est, ut vertit Bullialdus, antiquissimus omnium Rex Osiris diis immortalibus Spiritui, & Cœlo, Soli, & Lunæ, & terræ, & Nocti, & Diei, & patri eorum quæ sunt quæque futura sunt, prædicabo memoriam magnificentiæ ordinis vitæ ejus: mendosum procul dubio in hac inscriptione illud ΕΡΩΤΕ, & hanc lectionem si retineas quis inde sensus elici poterit? legendum igitur ΕΡΩΤΙ, atque ita parvâ unius scilicet litteræ mutatione huic loco sua lux, & amori sua laus facile restituitur; nec aliena est ab hoc loco sapientissimi Platonis, cujus velut interpres Smyrnæus ille, sententia, dum ait in convivio καὶ μὲν δὴ τήν γε τῶν ζώων ποίησιν πάντων τίς ἐναντιώσεται μὴ οὐχὶ ἔρωτος εἶναι σοφίαν ᾗ γίγνεται καὶ φύεται πάντα τὰ ζῶα, etenim animalium omnium effectionem, ut vertit Serranus, ex amoris sapientiâ existere, idest gigni atque nasci ecquis negaverit,

Per quem genus omne animantum
Concipitur, visitque exortum lumina Solis.

Apud Iulium Frontinum de aquæductibus Romæ pag. 106. editionis Plantinianæ, vulgò sic legitur: in vicenariâ fistulâ, quæ in confinio utriusque rationis posita est, utrique rationi penè congruit. Nam habet secundùm eam computationem, quæ interjacentibus modulis servanda est in diametro quadrantes viginti: cùm diametri ejusdem digiti quinque sint, & secundùm eorum modulorum rationem qui sequuntur ad eam, habet digitorum quadratorum ex gnomoniis viginti. Hîc procul dubio legendum non ad eam, sed aream: cujus emendationis ratio ex supputatione geometrica ducitur.

Eâdem etiam paginâ legitur, centenaria autem & centenum vicenum, quibus assiduè accipiunt, non minuuntur, sed augentur, Nec usu frequens est: videtur legendum Cen. idest centenaria, loco vocis illius Nec, litteris scilicet ordine inverso accipiendis, cum fortasse in manuscripto repertum fuerit Cen. hoc est centenaria, quod transcriptor transposuit & legendum Nec, particulâ sensui magis, ut videbatur, accommodatâ perperam existimavit.

His emendationibus unam aut alteram duorum insignium locorum addam, quorum primus est apud Sextum Empyricum, alter apud Athenæum: Sextus ille lib. 1. Pyrrhoniarum hypotyposeon pag. 12. ostendere conatur quam variæ sint pro diversitate ætatum Phantasiæ, παρὰ δὲ τὰς ἡλικίας, inquit, ὅτι ὁ αὐτὸς ἀὴρ τοῖς μὲν γέρουσι ψυχρὸς εἶναι δοκεῖ, τοῖς δὲ ἀκμάζουσιν εὔκρατος καὶ αὐτὸ βρῶμα τοῖς μὲν πρεσβυτάτοις ἀμαυρὸν φαίνεται, τοῖς δὲ ἀκμάζουσιν κατακορὲς, καὶ φωνὴ ἡ αὐτὴ τοῖς μὲν ἀμαυρὰ δοκεῖ τυγχάνειν τοῖς δὲ ἐξάκουστος, id est, ut vertit Henricus Stephanus, ex ætatibus autem quoniam idem aër senibus quidem frigidus esse videtur, aliis qui in ætatis flore constituti sunt bene temperatus, & idem cibus senibus quidem tenuis videtur, at iis qui florent ætate crassus, eodem modo & vox eadem, aliis quidem depressa esse videtur, aliis vero alta; at hujus loci elegantior sensus erit si legatur non βρῶμα sed χρῶμα, alioquin de sensu visus qui facilè maximam mutationem patitur, nullus hîc foret sermo: prætereà τὸ ἀμαυρὸν meliùs colori convenit quam cibo, & æquè de colore ac de cibo dici potest τὸ κατακορὲς, sic apud Virgilium legimus, *saturatas murice vestes, & hyali saturo fucata colore.*

Nunc ad Athenæi locum transeo; quis autem urbanissimi illius scriptoris sales variâ conditos eruditione ignorat? Et si quid in eo frigidum aut inficetum occurrat, quis ibi mendum subesse non suspicetur? Suspecta igitur erit lectio loci illius in quo hic auctor lib. 12. loquitur de depravatis Alcibiadis moribus, qui locus si uvlgatam lectionem retineas ipſo forſan Alcibiade depravatior erit : Athenæi verba hæc ſunt, Λυσίας δὲ ὁ ῥήτωρ περὶ τῆς τρυφῆς αὐτοῦ λέγων φησὶν, ἐκπλεύσαντες γὰρ κοινῇ Ἀξίοχος καὶ Ἀλκιβιάδης εἰς Ἑλλήσποντον ἔγημαν ἐν Ἀβύδῳ δύο ὄντε Μεδοντιάδα τὴν Ἀβυδηνὴν καὶ Ξυνωκείπην, ἔπειτα αὐτῶν γίνεται θυγάτηρ ἣν οὐκ ἔφαντο δύνασθαι γνῶναι ὁποτέρου εἴη, ἐπεὶ δὲ ἦν ἀνδρὸς ὡραία ξυνεκοιμῶντο καὶ ταύτῃ καὶ εἰ μὲν χρῷτο καὶ ἔχοι Ἀλκιβιάδης Ἀξιόχου ἔφασκεν εἶναι θυγατέρα, εἰ δὲ Ἀξίοχος Ἀλκιβιάδου : error hîc procul dubio in voce illa ξυνωκείπην, & legendum ξυνωκείτην hoc eſt concubuerunt , atque ita ſi falſa Xynoccipe deleatur , & ſola ſuperſit illa duobus nupta Medontias, portentoſæ iſtorum iuvenum libidinis novitati nihil detrahetur ; veritas autem iſtius emendationis ſatis per ſe patet , & ex ipsâ loci ſerie elici poteſt , in quo illud δύο ὄντε alioqui ſupervacaneum foret, nec jam amplius ambigua proles ; ratio igitur illius correctionis in promptu eſt , cui ejuſdem Athenæi accedit authoritas, is enim lib. 13. iterum de Alcibiade loquitur hoc modo, Μεδόντιδος γοῦν τῆς Ἀβυδηνῆς ἐξ ἀκοῆς ἔστερξε καὶ πλεύσας εἰς Ἑλλήσποντον σὺν Ἀξιόχῳ ὃς ἦν αὐτοῦ τῆς ὥρας ἐραστὴς, ὥς φησὶ Λυσίας ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ κατ' αὐτοῦ λόγῳ, καὶ ταύτης ἐκοινόνησεν αὐτῷ , id eſt ut interpretatur Dalechampius , Medontidem Abydenam auditione tantùm ille amare cœpit , & imprimis charam habuit , eam tamen cum Helleſpontum navibus adiiſſet , Axiocho navigationis comiti , & pulchritudinis ipſius amatori , ut inquit Lyſias in oratione quam contra eum ſcripſit , utendam dedit : ibi autem fictitiæ Xynoccipes nulla mentio , & illud ἐκοινόνησεν æque ac ξυνωκείτην communes Alcibiadis , & Axiochi amores fuiſſe ſatis arguit.

Sed ab iſtorum juvenum voluptate oculos avertamus , & eam quæ ex ſtudiorum ſocietate percipitur, puriorem & diuturniorem, ſummumque adverſorum ſolatium litteras eſſe fateamur ; cum tu his mirum in modum oblecteris , non iniucundas tibi fore confido obſervationes in quibus amici manum agnoſces ; ipſius ego lucubrationum ſparſas varijs in locis reliquias è tenebris quibus abditæ jampridem erant , eruere conatus ſum , neque hæc contemnenda duxi , ut ex hoc ſpicilegio rerum quæ diligentiſſimos , ut ita loquar , meſſores latuerunt , pateat , quantam earum auctor in liberiori & conjecturis aperto critices campo ſegetem fuerit collecturus , ſi ſæpius in illo ſpatiari voluiſſet : Vale & me ama.

CEDE DEO,

SEU CHRISTUS MORIENS.

D. Petri de Fermat Carmen amœbæum ad D. Balzacum.

OBSTUPUIT totieſque eluſum mentis acumen
Dedidicit vanos veris præferre colores
Luminibus. Quid bella moves , deletaque pridem
Numina præſtigiis linguæ ſolertis adumbras
Infelix ratio ? Num te ſimulachra tot annis
Deſita , & imbelles Divûm ſub imagine formæ
Fallaci cinxere metu ? Num te oſtia Ditis
Aut ſtygiæ remorantur aquæ , Elyſiive receſſus ,
Et quidquid credi voluit Dijs æqua poteſtas ?
Perge tamen quò te ſecuro tramite ducunt
Balzaco præeunte viæ , nec inertia dudùm
Fatidicæ reſponſa Deæ , quercuſve ſilentes
Dodonæ , aut taciti venerare oracula Phœbi ;
Cede Deo. Ceſſit veterum numeroſa propago
Cœlicolûm : Deus ecce Deus , quem prona parentem
Agnoſcit natura ſuum , cui terra , ſalumque
Paret , & edomitæ fatalia flabra procellæ ,
Submittuntque ipſæ jam non ſua murmura nubes.
Hic puro fulgore micans , de lumine lumen
Dum traheret , Deus unus erat , natuſque ſupremi
Æternâ æternùm manans de mente parentis
Aſſumpſit veros morituræ carnis amictus ,
Si qua forte queat mortalia flectere corda ,
Tantillumque animis extundere poſſit amorem.
At poſtquam ſummi tandem mandata parentis
Horrendo ſacrum caput objecere furori ,
Humanas mœrenti animo depromere voces
Cœpit , & inſolito ſuccuſſus membra fragore ,
Omnipotens , ſi nondùm orbem mala noſtra piarunt ,
Et placet infandum pœnæ genus , en , ait , adſum
Victima , lethiferoque libens ſuccedo dolori.
Cerne tamen ſudore madens & ſanguine corpus ,
Et ſi nulla ſuper noſtræ tibi cura ſalutis ,
At ſaltem ſolare animum non digna ferentem.
Dixit & humentes oculos ad ſydera tollens ,
Quas non ille preces , quæ non ſuſpiria fudit
Anxius ærumniſque gravis , tua , rector Olympi ,

Dum ſatagit, mentemque futuræ accingere pugnæ
Sponte parat? Cœlo intereà demiſſus ab alto
Aliger, ut varios animi componeret æſtus,
Improviſus adeſt, ceciditque repente fragorum
Turba minax, auctæque ſuperno robore vires
Deſpectant longè pœnas, nondumque paratæ
Incubuere Cruci: nam cur, ſupreme, moraris
Rector, ait, cur me per tanta pericula vectum
Siſtis, inexpletoque obices opponis amori?
Dixerat, humaniſque iterum ſuccumbere curis
Viſa caro, triſtes agitant præcordia motus,
Necdum ſecuro greſſu veſtigia ponit.
Hæc inter dubiæ mentis certamina totam
Noctem orat, ſocios altus ſopor urget inertes,
Quos decuit vigiles oranti impendere curas.
Heu pavidæ mentes, ſi nec cœleſtia tangunt,
Nec veræ virtutis honos, hoc munere ſaltem
Defungi jurata fides, juſſumque magiſtri
Debuit una ſequi; ſed jam ſtrepit undique murmur,
Et ſegni tenebras abrumpunt lumine tædæ;
Quò ſe cumque feret, jam vis inimica propinquat,
Fictaque adorantis ſpecies, verique dolores
Non procul. Infauſti tandem ſub pondere ligni
Deficit, affixuſque cruci, jam verbera paſſus,
Jam ſpinas, laceros ſpargens tormenta per artus,
Nempe urgebat amor, noſtræque cupido ſalutis,
Humanam egreſſus ſortem, mortique tremendus
Dum fieret morti propior, fremituſque, minaſque,
Et conjuratæ ſpernens convicia turbæ,
Degeneri vitam populo pacemque precatur,
Nec, quas ipſe tulit pœnas, tortoribus optat.
Et jam finis erat, violataque pectora puri
Muricis undantes ſpargebant undique rivos.
Nec tamen imbelli ſubiit fata ultima mente;
Quin magis aſſurgens, divinaque lumina, Cœlo
Sic propior, vocemque ſonoram ad ſydera tollens,
Summe Deus, quid me moribundum deſeris, & jam
Semianimem, populique tuoque furore fatigas?
Sat tibi, ſat mundo dedimus, finitaque dudum
Singula præſcriptas habuere oracula metas.
Sic fatur moriens, elataque lumina rursùm
Figit humi, nec jam Cœlum ſpectare facultas
Ulla datur, cecidere animi, marcentiaque ora
Æthereo vocem extremam fudere parenti:
Hanc tibi, ſumme parens, animam commendo, nec ultra
Proſiliit, vitamque ſimul cum voce reliquit.
Haud ſecùs extremo videas ſpiramine lychnum
Ingentem niſu valido producere lucem,
Et ſursùm elatas, iterum ſubſidere flammas,
Donec anhelanti ſimilem circumfluus humor
Deſerit, & denſæ ſubeunt fuliginis undæ.

Debilis intereà viſa eſt ſcintilla per umbras
Semianimes atris miſcere vaporibus ignes,
Deficiunt tandem & vano conamine ſursùm
Evecti, æternis noctis conduntur in umbris.
Nec tamen æternæ claudent tua lumina noctes,
Nate Deo, veram referet lux tertia lucem,
Et majora dabit renovato lumina mundo.
Quò me, quò, Balzace, rapis? juvat ire per altum
Exemplo quocùnque tuo me muſa vocarit,
Exiguo ſine te vix ſuffectura labori;
Scilicet optati venient tanto Auſpice verſus,
Et quo Pierij frueris ſuper ardua montis
Editus, hoc olim forſan potietur honore
Balzaco proles non inficianda parenti.

FIGVRÆ À PAGINA 104. AD Pag. 117.
PRÆTER FIG. QVÆ DEEST Pag. 91.



FIGVRÆ À PAGINA 117. AD Pag. 127.



FIGVRÆ À PAGINA 127. AD PAG. 134.



FIGVRÆ À PAGINA 134. AD PAG. 144.



FIGVRÆ À PAGINA 144. AD PAG. 167.